





2
6
99

















Aristotelis Politica ab

IACOBO LODOICO STREBAEO *nomine Ioannis Bertrandi Senatoris Iudicísque sapientissimi conuersa.*



PARISIIS,
Ex officina Michaëlis Vascosani, in uia quæ est ad diuum Iacobum, sub Fontis insigni.
M. D. XLII.

Cum priuilegio.

PRIVILEGIVM IN HANC SEN-
tentiam à Propr. Parisiensi impetratum.

Cautum est edicto Propraetoris Parisiensis, ne cui Aristotelis Politica ab Iacobo Lodoico Strebaeo nomine Ioannis Bertrandi Senatoris conuersa à Graeco, triennio proximo imprimere liceat, aut alibi impressa uenalia proponere, praeterquam ipsi Vascosano. Qui secus fecerit, libri impressi, aut inter promercales habiti, publicabuntur, & mulcta illi arbitrio Iudicis irrogabitur. Parisiis decimo Calendas Nouembris, M. D. XLII.

I. I. De Mesmes.

ARISTOTELIS POLITICA AB IAcobo Lodoico Strebæo, nomine Ioannis Bertrandi Senatoris Iudicísque sapientißimi conuersa. Præfatio.



Acturus operæprecium uideor, æquißime Curiæ præses, si breuiter exponam quibus rebus adductus, libros Aristotelis de ciuilium rerum scientia à Græco tandem conuerterim. Iam ab illo tempore quum mihi daret operam adolescens optimus atq; nobilißimus Gabriel Venator Eburonicum pontifex, & alias philosophiæ partes, & hanc maximè iuueni discendam proponerem, sæpius offensus interpretũ non ignoratione modò, & inscitia rerum, sed etiam infantia ac impuritate loquendi, tum alia philosophorũ principis opera de moribus, tum hoc politicum, uertere, latinéq; reddere cupiebam. Non ita multò pòst in urbem Pictonum legum iurísque studio florentem profectus, quum uersarer inter homines eruditos, & amore disciplinæ ciuilis ardentes, inueni permultos qui ad illud me uehementer hortarentur, & sponte currentem uelut calcaribus urgerent. Postea reuersus Lutetiam Parisiorum, quũ pomeridianis scholis præcipere philosophiam cœpißem, maiore desiderio Græca uertendi flagrabam, ut sapientiæ studiosis eßet aliquid si non eleganter & ornatè, at latine saltem propriéq; redditum, & expreßum. Posteaquã domum tuam ueni accitus in numerum tuorum, etsi, quemadmodum prius, & incommodo ualetudinis, & angustijs temporis excludebar, irrupi tamen, & quod ocium dabatur, in hoc negocium conuerti, cum ut meo & hortatorum studio satisfacerẽ, tum

ut aliquid à nobis non indignum tuo nomine uicißim caperes, quo tui quoq; posthac longius ætate prouecti lubentius uterentur. Non habui quicquã antiquius, nihil prius mihi faciundum putaui, quàm ut hoc quicquid est interpretationis, studiosis, & maxime tibi, ut uidebam, cupienti, conficerem. Hæc igitur, si non prima, at certè princeps omnium causa. Habes cur hoc negocium susceperim. quid autem effecerim, aut efficere conatus sim, paucis, si ita uidetur, accipe. Quũ Leonardus Aretinus, & Faber Stapulensis hunc proximè secutus, (de ueteri interprete utriusq; linguæ ignorantißimo, qui D. Thomam nimium credulũ miserè fefellit, nihil, ubi de literatis uiris agitur, esse dicendum puto) omnibus in libris, siue negligentia, siue rei difficultate, in errorem depulsi, ab Aristotelis sententia uiáq; deflexissent, ego non ingenio & arte, sed labore & diligentia fretus, locos plus mille deprauatos restitui atque correxi. Qui sint, & ubi sint, etiamsi taceam, facilè uidebunt ij qui diligenter animaduerterint quibus in rebus ab utroque non temere dissentio. Quod si quinquaginta modò paulo difficiliores emendassem, & illos nomine negligentiæ aut inscitiæ, aut potius utriusq;, suspectos imperitioribus, qui barbaris & indoctis nimiũ tribuunt, reddidissem, nõ inutilis & frustra susceptus uideretur hic labor. At apud eos omnia ferè plena sunt aut solœcismo, aut improprio sermone, aut distorto genere loquendi, aut historiæ inuersione, aut laborant antiquitatum ignorantia, cõsuetudinum deprauatione, rerum imperitia, impudentia, audacia, temeritate. Quid? non desino mirari, quid sit in causa, cur tam multi etiam nõ indocti id hominum genus ferant ad cælũ, quum multo plus mali quàm boni pariat ista rerum uerborúmque confusio. Hinc alitur fœda ac impura

ac impura barbaries, hinc insolens absurdus inauditúsq; sermo spargitur in uulgus, & abusu longo sensim repit in omnium linguam. hinc oritur nescio quod balbutiendi genus tam alienũ ueteri lingua, ut nemo nisi balbus, quid uelit intelligat. His alia deteriora sunt, falsa persuasio doctrinæ, inanis arrogantia, effrenata garrulitas, philosophandi ratio peruersa, contemptus excultæ disciplinæ, insanus amor artis leuissimæ, quam qui imbiberũt, uana ac futilia persequuntur, grauia atq; seuera prætereunt: ignota pro notis, incerta pro certis, falsa pro ueris, praua pro rectis habẽt: & quod ignorãt, ut consultò reliquisse uideantur, facile, obuium, dilucidum, perspicuum esse dicunt: ut sæpe Faber locos Aristotelis penitus abditos & retrusos, præteruolat ut apertos peruiósq;, & in enumerandis propositionibus rationibúsq;, ineptissimo quodã artificio remoratur lectorem. Vtiles fuerunt, inquies: totis uiribus contenderunt, ut in lucem proferrent quæ in occulto latebant, & ad Peripateticorũ philosophiam nobis aditum patefacerent. Si prodesse uoluerũt, laudo uoluntatem. Quòd difficilia & ardua sunt aggressi, magnifacio conatum. Siquã nobis aperuere uiam, ego uel in primis habeo gratiam. Quòd autem contempserunt eos qui bonã sapientiæ partem uerbis latinis & compositis tradideruut, Lucretium, Cornelium Celsum, Ciceronem, Senecam, Plinium, & ab eorum lectione reuocarunt iuuentutem, ꝙ omnia penè barbarè & uastè locuti sunt, etiam quum uerborum nulla inopia cogerẽtur, ꝙ historias & antiquitates aspernati, fabulas ac noua commenta secuti, monumenta ueterum planè intelligere & alijs explicare se posse crediderũt, nullo modo probare possum: nec illud probãdum, tam multa uitia admittere, qui sibi rerum cognitionem insolenter arrogant: Subtiliores antiquis uideri

uelle: quã munierunt illi uiam, relinquere, & immoderata licẽtia degenerare à patribus, atq; ueteris sapientiæ loco inducere nõ dico philosophiam nouã, sed ineptè loquacem amentis animi delirationẽ. Veteres illos qui primi de natura, de medicina, de moribus aliquid ediderunt, rerúmque magnarum fontes posteritati demonstrarunt, propterea quòd aut ab Aristotele aut à Galeno, qui per eos multũ profecerant, in aliquam errati suspicionem disceptationémque uocati sunt, contemnimus: istos qui quæ sapienter & eleganter erant tradita, modis omnibus contaminarunt, admiramur, extollimus, ut deos suspicimus: & si quis id facere nolit, ingratus, improbus, rudis & inscius habetur. Iudicent alij quod uisum fuerit, ego semper ita iudicaui, tam incultos homines & temerarios obfuisse maxime studiosis literarum, & indignos fuisse qui Aristotelis summi uiri diuina scripta uel conuerterent, uel interpretarentur. Nullus adhuc, qui græca non intellexit, ex istis scire potuit quid sibi uellent hi libri de instituendis ciuitatibus & regendis. Itaque summopere contendi ut ea restituerem, quæ mihi deprauata uidebantur: feciq; diligentia, ut locos ferè mille ducentos emendarem, unde Aretinus ille & Iacobus Stapulensis non uidentes impressa sui ducis uestigia, aberrassent. Exemplaria græca quæ uenerunt in manus, correxi. nullum enim mendis librariorum uacabat. Partem locorum notaui: partem quæ deprehendi facilè potest, adscribendam libello minime duxi. Præterea faciundum erat, ut omnia uerbis latinis, proprijs, & compositis exprimerentur, ne barbara ac inusitata fœditatem, impropria obscuritatem, incondita confusionem gignerent. Adhibendúsq; fuit aliquis ornatus, non ille pulcherrimus quo sunt usi uel oratores amplissimi, uel sophistæ in exornationibus & panegyri-

cis (nec

cis (nec enim res ipsa, nec simplex ratio uertēdi ferebat) sed ille philosophorū uerecundus, summissus, castus, nec sententijs nec uerbis popularibus instructus: cuius est nō insigniter exornare, sed nudum & horridulū tegere corpus, & apta quadā mediocritate uestire. Hæc omnia fecerim nécne, iudicent ij quibus est orationis & faciendæ & ornandæ scientia: quæ ut in me esse posset, magno studio mihi iam multis annis est elaboratum. Hic si quod maxime uolui, perfeci, nemo legēdis nostris latina didiscet, & explicata sermone dilucido facilè comprehendet. Quæcūque in græco mihi uidebantur ambigua (non autē pauca uidebātur) ita reddidi, ut omnis tolleretur ambiguitas. quod ut facerē, persæpe quæ suppresserat breuitas, expressi, & integra manente sententia, uerba dilataui. In quo non est cur aliquis dicat perperā factū, quia additū est de meo. Nihil additum, sed quod sub breui cōplexu uerbum quodāmodo latebat, in lucem datum, & ordine collocatum est. Nonnunquā uni duo uel plura reddidimus eiusdem rei uerba, non ut hoc modo uitaretur amphibologia, sed ut paulo facilior & aptior excurreret oratio. Interdū loco uerborū quibus aliud referēdi uis est, id quod referebatur, aut explicandæ sententiæ causa, aut orationis explendæ, sedere malui. quod interpreti non malo licere puto. Sed quid plura? Inuitus quidem feci, ut hæc de scriptis aliorū meísque dicerē: sed uidebam non defuturos qui dicerēt me solùm uerba mutasse, nihil omnino rei dedisse, quíque in media fæce scriptorum pessimorum diu uersati, puriores literas aspernarentur. Vtrosque monitos uolui, nō esse cur tam rudes támq; desidiosos interpretes magnifaciāt, & ætate posteriorū cōtēnāt industriā. Quicquid in hac re mihi cōfectū, hoc qualecūque est, tuo nomine diuulgādum esse existimaui, propterea

quòd ſi more maiorum libelli noſtri aut patronū adoptāt, aut (ut ait M. Tullius) quaſi munuſculum leuidenſe mittuntur, hic neque patrociniū fidelius quàm tuum, neq; uirū digniorem cui generis huius munera afferātur, inuenire poſſet. Neminē (quod ſciam) reperiet uſquā politicū magis, atque ſciētiæ ciuilis amantiorem, & qui maiore ſtudio literatos omneis, & munus è literis, amplectatur. Si quærit hominem manſuetū, mitem, moleſtiarum patientem, qui nulli noceat, utilitati cōmuni ſeruiat, quoniā is maximè natus eſt ad ſocietatē cōmunitatēque generis humani, de qua nunc agitur, non uideo quē nomine comitatis, clementiæ, benignitatis, conſociationis humanæ, tibi præferre poßit. Si tractari cupit ab eo cui uis eſt innata iuris, qui ius & æquitatem uincula ciuitatis obſeruat, nullum cognoui (me dij ament) cui natura ſit ad æquū bonúmq; propēſior, callido uerſutóque iuri magis inimica. Principio oſtendere uolet alios eſſe natura liberos, alios uerò ſeruos, & eum propriè ciuem habendum, qui ſit ingenio liberali, miniméque ſeruili. eris in promptu quem ponat exemplum, cui nec abiectus & humilis eſt animus, nec externarū rerum cupidus, nec adulationi, blāditijs, dolo, malitiæ, leuitati, inconſtantiæ, cupiditati, cæteríſq; rebus ſeruilibus, ſed ueritati, fidei, grauitati, conſtantiæ, moderationi, magnis honeſtíſq; rebus deditus. Deinde quia ciuilis ratio iubet ciues ingenuos, ſplendidos, liberales eſſe, & nihil eſt (Cicerone teſte) tam anguſti animi támq; parui, quàm amare diuitias, nihil honeſtius magnificentiúsq; quàm pecuniā contēnere ſi non habeas, ſi habeas, ad beneficentiā liberalitatémque conferre: audies hunc libellum uituperantē ſordidos quæſtus, nūmariā auiditatem, & infinitā lucri & prædæ cupiditatē. Tum cōuerſus ad te (paulo audacius loquar) tuo quaſi recreabitur aſpectu, qui nihil auarè

auarè comparasti,nihil cupidius emisti,nihil ad augendam rem familiarẽ illiberaliter accepisti,qui detestaris iudex nũmarios iudices,qui quod alij uidentur suo iure capere,cõdonas,aut potius abnuis & recusas,qui nõ habes uænalem iurisdictionem, quique maximũ tuæ gentis ornamentũ, tuos illos Bertrãdos,in quorũ familia singulari prudentia ac integritate conspicua ius ciuile uelut hæreditariũ diu floruit & hodie floret, & à quibus sanctè,incorruptè & integrè semper,ut multi locupletissimi testes cõfirmant,explicatũ est atq; dictũ,non æquiparas solùm peritia iuris & æquitate, sed etiam sapiẽtia uincis,& inexpugnabili animi cõstantia & firmitate,cui uilis est pecunia, uilior auara nundinatio, multo fœdissima in exigendo supprimendóque nũmo impudẽtia, cui domus est miserorũ perfugiũ, ciuitatis oraculũ,bonorũ liberale & splendidũ hospitiũ. Quũ tales igitur & tãtos politici philosophi desiderẽt ciues, hæc politica nusquã lubentius quàm apud te quiescẽt. Postea quum ciuilis hæc præceptio multos & philosophos & legũlatores qui de rep.scripserũt,recensebit,tu nec ignarus legũ, nec hæsitans in maiorũ institutis,nec rudis in iure ciuili,utpote qui puer magna cũ laude in schola iurisconsultorũ leges explicabas, adolescẽtulus ut senes,causas agebas,iuuenis de summis rebus consilium dabas plenũ prudẽtiæ & fidelitatis, & hoc nomine apud acutissimũ uirũ Antoniũ Pratẽsem Galliæ nostræ Cãcellariũ, & Antoniũ Burgensem hominẽ sapiẽtissimũ qui illi successit, magno semper eras in precio & in honore:quũ scriptores inq̃ recẽsebit,tu pro summa tua exercitatione sapiẽtiáq; cõtinuo iudicabis quid quisq; recte,q̃d prauè cẽsuerit, & quod hæc pars expetit,nõ modò lector eris, sed optimus & æquissimus æstimator.Iam sequetur illa de optimo ciue inter multos dispares,

de optima republica inter uarias rerũ publicarũ ſpecies, diſpu tatio. hiſce de rebus ubi cõmodius agetur, quàm apud optimum ciuẽ, cui nõ minus eſt boni uiri, q̃ ciuis probati uirtus? prudẽtiã dico, iuſtitiã, animi magnitudinẽ, moderationẽ, in imperio ſeue ritatẽ comitate mixtã, in uita priuata magiſtratus & legũ ob-ſeruationẽ, ſeditionis odiũ, pacis & cõcordiæ amorẽ, diligen-tiã in agẽdis rebus, beneuolentiã in ciues, charitatẽ in rẽp. curã ciuitatis, ſummũ religionis deorúmque cultũ. Hic noſter ciuis ampliſsimus oſtẽdit altã mentẽ in capiẽdis dãdísq; cũ de re ſin gulorũ tum de regno Galliæ cõſilijs, iuſtitiã in iure dicũdo, for titudinẽ in ſubeũdis periculis & quum in Germaniã morte ho minis iure dãnati cõmotã, & quũ in ciuitates Allobrogũ belli incẽdijs ardẽtes ab rege Frãciſco cũ imperio miſſus eſt: ſed & alibi perſæpe inter maleficos infenſos animum præſtitit uirilẽ. Exercuit tẽperantiã paucitate uerborũ, tenui cibo potúq;, leui ſomno, ioco raro & tẽpeſtiuo, ludo parciore, mediocritate cul tus, moderatione lætitiæ, ægritudinis, cupiditatis, & aliarum perturbationũ quæ animũ aut grauius cõcitant, aut nimiũ re-mittũt. Quũ priuatus ageret, iã magnus inter patronos nõ mo dò iura legésq; non uiolabat ut improbi ciues, ſed æquitatis & legũ defenſor erat acerrimus. Nũc quũ tot gerat magiſtratus, quot nullus alius ordinis eiuſdẽ, ſic imperiũ tẽperat, ut illo ne-mo ſit grauior, nemo dulcior. Nã dignitate ſeruata omnes hu-maniſsimè excipit, omnes patiẽter audit, quoſcũq; poteſt adiu-tat, omniũ dolore iuſto cõmouetur, aliena quàm ſua negocia di-ligẽtius curat, & (quod imperantẽ maximè decet) omnibus eſt æquus, ſibi propemodũ iniquus. Ac in eo uiro tanta uerecũdia eſt, ut quæ facilè & honeſtè impetraret bona, ſibi ſuíſq; pete-re uereatur. Hoc multi improbãt, tamen ab ea uirtute Romani

Fabritios

Fabritios, Curios, Mũmios cõmẽdãt, & Aristoteles in hoc opere eã laudat, neq; rẽp. bene habere existimat, in qua qui principatũ obtinẽt, utilitati suæ non cõmuni dant operã, sed illã quæ talibus uiris qualẽ uerè dicimus hũc nostrũ, cõstat, cuius omnis cura solet in hoc uersari, ut controuersias dirimat, simultates & seditiones auferat, ciuibus, reip. religioni, pietatíq; seruiat. Quæ diximus adhuc his libris cõtineri, tibi quidẽ certè mirũ in modũ congruũt: cætera ad rerum publicarũ subtiliorẽ diuisionem pertinẽt, ad legumlatorũ prouisionẽ, ad ea quæ labefactãt statũ rerũ, & quæ illũ seruãt incolumẽ, ad distribuẽdos magistratus ac gerendos, ad opportunitates loci, pacis, & belli, ad uirorum, mulierum, puerorúmque disciplinam. Quæ si tibi congruentia & apta non sunt, cui possint accommodari, nõ uideo. Ecquis hæc lubentius accuratiúsque lectitabit? Ecquis acutius introspiciet? Ecquis iustius omnia perpẽdet? Quòd si usu opus est, experientiáque, quis est diutius ac pluribus in rebus exercitatus? quis in rep. minus rudis? Et si quis est usus horum, quæ ab antiquis diligenter excerpta, artificiosè digesta, & à principe philosophorum non aucta modò, sed etiam grauiter ornata sunt: quis hodie senator aut iudex maiorem habet utẽdi facultatem, quàm is cui locus est in interiore consilio regis, locus inter præsides ac principes Curiæ Lutetianæ, primum nomen in obeundo munere delegatæ iurisdictionis, tribunal in conuentu Britonũ, cuius authoritas & existimatio, quod pluris est quàm omnia, multum ualet apud Galliæ proceres, nobiles, sacrorum antistites, atque insigne illustriũ uirorum genus? Quæ quũ ita sint, hoc munusculũ, si nõ meo labore, at certè philosophi authoritate cõmendatũ, tibi maxime aptum & congruens esse puto. Feci igitur ut in tuo nomine appareret, quo nec mihi charius,

nec ad huiusmodi munus aptius ullum reperiebam. Quòd autem decimam fortè uel duodecimam tuarum laudum partem leuiter attigimus, ne tua frons pudoris ingenui plena, ne summa tua uerecundia molestè ferat. Nullus impedimento esse debet nec potest, quo minus uirtus honestásq; laudetur. Mihi sanè nõ iniuria uitio daretur, si quem tot amplißimi uiri laude ferunt, ego penè solus occasione data silẽtio præterissem. Scio, & certò scio, non defuturos qui me grauiter arguendum putent, quòd materiã laudis tam uberem, tam copiosam, tenuiter, inornatè, aridè ieiunéque tractarim. Sed cogitent me spacijs iniquis exclusum fuisse, & ante oculos semper habuisse os illud uerecundum, quod non solùm blanditias & assentationes (à quibus & ipse uehementer abhorreo) sed etiam notam uerámque laudem ferre non posset. Cur hosce libros è græco tandẽ conuerterim, quantum laboris atque diligentiæ adhibuerim, & quamobrem tuo nomine utendum mihi duxerim, paucis, ut par erat, exposui. Ne longior oratio te multis curis impeditum, & alios ad rem properantes moretur, iam præfandi cogor & proludendi facere finem.

VII

ARISTOTELIS POLITICON LIber primus Iacobo Lodoico Strebæo interprete.



VVM videamus omnem ciuitatem esse quandam societatem, & omnem societatem propter bonum quoddã fuisse constitutam, (Nam propter id quod bonum videtur, omnes agunt omnia) perspicuum est omnium societatum communiones bonum veluti scopum signúmque propositũ petere, & illarum principem ac cæteras omneis continentem (ea est quæ dicitur ciuitas atque communio ciuilis) illud bonũ velle, quod summum præcipuumq́; est, atque omnium præstantissimum. Quicunque igitur existimãt eũdem esse, eodemq́; fungi munere, qui remp. qui regnum, qui domum, qui mancipia regit, male certe quidẽ sentiunt ac loquũtur. Hos enim nõ administrandi specie, sed eorum qui parent, multitudine & paucitate differre arbitrantur: vt eorum sententia, paucorum sit dominus, plurium oeconomus, compluriũ rex, aut reip. gubernator: quasi verò nullum discrimen habeant magna domus, & parua resp. & a rege non differat reip. magistratus, sed qui populo sic præfectus est vt solùm præsit, regia potestate sit præditus: qui verò pro rationibus disciplinę ciuilis & eiusmodi scientiæ partim imperat, partim obtemperat, moderator sit reip. & temperator. Ista quidem vera non sunt. Quod dicimus, haud erit obscurum si rationẽ spectabimus, & quę viam monstrauit, doctri- Cap. 1.

nam ſubſequemur. Vt enim in aliis rebus perſpiciendis compoſitum & concretum, donec ventum ſit ad ſimplicia ac ſingula, quoniam minimæ ſunt totius particulæ, diſtribuere & partiri neceſſe eſt, ſic perſpicua nobis erit ciuitas, ſi ex quibus conficitur partibus contẽplemur, atque de membris eius potius agamus, quid inter ſe differant, recipiántne aliquid artis atque præceptionis ea quę dicta ſunt. Siquis igitur ab initio res vt naſcuntur & coaleſcunt, animaduerterit, vt in aliis ſic & in his hoc modo contemplãdo cuiuſmodi ſint, optime cognouerit. Principio neceſſe eſt illos copulare, quorum alter ſine alterius ope eſſe nõ poteſt, vt fœminam & marem ad ſobolem procreandam, & id quidem præter cõſilium, atque rationis arbitrium. In illis enim quemadmodum in cęteris animantibus & ſtirpibus, naturale deſiderium eſt aliud ſimile ſibi relinquẽdi, vt imperantem & iuſſa capeſſentem ſalutis gratia. Nam qui mente & ſentiendi acumine proſpicere poteſt, ille natura principatũ, natura dominatum obtinet: qui viribus corporis in exequendis cõſilii mandatis valet, ille iure naturę paret ac ſeruit. Quamobrem domino & ſeruo eadem res vtilis eſt. Itaque natura diſtincta eſt a ſeruo fœmina. Neque enim natura tale quippiam facit, quẽadmodum ærarii fabri gladium delphicum per inopiam, at ſingula generat ad ſingulos vſus. Sic enim optime perficientur, & ad ſuum finem referẽtur inſtrumenta, ſi non multis rebus ſed vni tantum ſubſeruiant. Sed apud barbaros fœmina & ſeruus eundem habent ordinẽ,

propterea

propterea quòd populi rudes & feri neminem habẽt qui natura ſit dominus, ſed eorum ſocietas ac communio ex ſeruis vtriuſque ſexus congregetur. quapropter inquiunt poetæ, Græcos barbaris imperare oportere, quaſi natura ſit idem eſſe barbarum atque ſeruum. Ex his igitur duabus cõmunionibus prima cõſtituitur domus. Recte igitur Heſiodus poeta dixit,

Primùm ædes, mulierq́;, & bos habeatur arator.

Eſt enim bos loco ſerui pauperibus. Societas igitur in vtilitatem & vitam cottidianam à natura conſtituta, domus eſt. Hoc vinculo iunctos homines Charõdas ὁμοσιπύους vocat, nos ſodales & conuictores appellare poſſumus. Epimenides autem Cretẽſis ὁμοκάπους dicit: quos quoniam eodem tecto eodémque domicilio tenentur, contubernales nominamus. Ex pluribus autẽ domibus prima ſocietas non ad vſum cottidianum collecta, vicus eſt. Eſt enim vicus multitudo ſuadente vel maxime natura ab domo deducta, & ex iis conflata quos nonnulli collacteos & filios ac filias atque nepotes appellitant. Quamobrem principio ciuitates a regibus gubernabantur, & nunc etiam gentes ab iis qui regio parebant imperio ſatæ, regibus obtẽperant. Omnis enim domus à viro maximo natu tãquam rege adminiſtratur, itemq́; propinqui & ſanguine coniuncti, qui domo creſcente coaluerũt in vicum. Illud eſt quod ait Homerus,

Ius reddit quiſque virorum
Vxori & natis.

Hoc modo priſci ſparſas ſeparatáſque domos habe-

bãt. Et deos eadẽ de causa inquiũt omnes à rege gubernari, propterea quòd vt huius tempestatis homines, sic etiã prisci regum imperio regebãtur. Vt enim mortales suã atq; deorũ formã similem esse putant, quasi diis humana sit figura, sic etiã illorũ more agere se, & eadem vti viuendi consuetudine arbitrantur.

Cap. 2. EX pluribus autem vicis perfecta communio, ciuitas est, ea quæ tangit extremum (sic loquar) omnis rei necessariæ punctum, & id quod sibi satis est habet: quæ statuitur quidem ad viuendum, constituta verò facit ad bene viuẽdũ. Est igitur natura ciuitas omnis, quoniam & primæ communiones, quarum finis est ciuitas, naturaliter copulantur. Natura quidem siue rei cuiusq; perfectio, finis eius est. Qualis est enim res omnis genita atq; perfecta, talẽ dicimus illius esse naturã, vt hominis, equi, domus. Præterea illud est in re optimum, cuius gratia fit, & in quo ipsa conquiescit. optimum autẽ, id habere sibi, quod satis est. Hæc igitur communionum finis atque natura. Ex his ergo planum fit naturaliter iungi ciuitatem, atque hominẽ suapte natura animal esse ciuile, natũq; societati. Quod siquis propter suam naturã non fortunã summotus a ciuitate & hominum frequẽtia viuit, is aut vitiosus est & nequã, aut certè melior homine atq; præstantior, vt ille ab Homero conuicio affectus,

Exlex, cui desunt tribus & domus.

Eiusmodi naturæ coniuncta belli cupiditas, quippe quæ communionis iugo non aliter atque quarundã volucrũ, soluta est. Itaq; sine controuersia ciuilis animans

mans est homo, nec vlla apis nec vllum animal gregale tam cupit vitæ communitatē. Nihil (in ore multorum est sententia) temere natura facit. Ex animantibus homo solus habet loquendi facultatem. Vox quidem certe, quum tristitiæ atque lætitiæ sit indiciū, in cæteris animantibus inest. Eò enim venit eorum natura, vt triste atque iucundum sentiant, & hæc, alterum alteri, significent. at sermo valet ad explicandum tum quod prodest, tum quod obest, itemque & quod est iustum, & quod iniustum. Nam proprium est hominum præter cæteras animantes, boni & mali, iusti & iniusti, atque aliorum, siqua sunt rationis huius, habere sensum. Hominum autem communio ciuitatē & domum constituit. Naturáque prior est ciuitas quàm domus & singuli nostrū. Etenim totū prius esse parte sua necesse est, quoniam si totū sustuleris, non erit neque pes, neque manus, nisi forte maneat nomē ratione mutata, vt quum quis lapideā manum dicit. Nam quæ corrupta fuerit, eodem modo manus dicetur. Omnia sane officio definita sunt ac facultate. Ideóque si neque actionem neque vim quam prius habebant, retinent, non éadem, sed homonyma sunt dicenda. Certum est igitur ciuitatem singulis hominibus esse natura priorem, quia siquis vnus ab aliis segregatus, sibi satis esse non poterit, is non aliter cum ciuitate quàm partes aliæ cū toto cōferetur. Qui vero cum aliis versari nequit, aut qui nullius eget, eò quòd ipse sibi satis est multus, ille quidem nulla pars est ciuitatis, quamobrem aut fera, aut

deus habendus. Omnes igitur naturaliter hanc expetunt societatem. Quam qui primus cõstituit, ingentium fuit author bonorum. Nam sicut homo finem suæ perfectionis assecutus, animal est omnium optimum, ita quoque a lege seductus & ab iudicio, omnium cæterorum pessimum. Nihil enim immitius atq; sæuius est, quàm quæ tenet arma iniustitia. homo autem innata prudentia atque virtute armatus est, quæ nullo negocio in vsus contrarios vertũtur. Quapropter homine, qui virtute careat, nihil est nefariũ magis & immane, nihil in re veneria & esca deterius. Iustitia res ciuilis est. Iudiciũ enim quo dirimuntur controuersiæ, est ciuitatis ordo. Iudicium de iure & eo quod est iustum, sententia.

Cap. 3. POSTEAQVAM aperte demõstratum est, quibus ex partibus ciuitas est constituta, de ratione regendę domus & œconomia, priore loco dicendum videtur. Nam ciuitas omnis ex domibus cõponitur. œconomiæ partes eæ sunt, ex quibus rursum domus ipsa conficitur. Domus autem perfecta seruis & liberis constat. Et quoniam in minimis quid in quaque re primum sit, quærere debemus, & primæ ac minimæ partes domus sunt dominus & seruus, vir & vxor, pater & liberi, de tribus his, quæ sit & qualis esse debeat vnaquæque, via rationis inquirẽdum. Vna est herilis, altera affinitate iuncta, cui non est inditum proprium nomen, tertia, patria dicatur vel paterna. Sint hæ tres quas diximus partes. Est etiam pars alia, quæ rei quærendæ sciẽtia nominatur. hæc aliis œco-

nomia ac tota ratio patris familias, aliis pars huius amplissima videtur. Cuiusmodi sit, erit nobis suo loco disputandũ. Principio de domino & seruo loquamur, vt & ad vsus necessarios comparanda cognoscamus, & experiamur, an præter hanc cognitionem, aliquid melius rectiusque apprehendere & tenere possimus, quàm quæ nunc opinione hominũ continentur. Sunt enim qui dominatum & herilis imperii rationem scientiam esse quandã existimant, & (vt in principio diximus) eãdẽ esse œconomicã, herilẽ, ciuilẽ, regiáq; disciplinã arbitrãtur. Sũt & qui domini in seruitia potestatẽ præter naturã esse cõtendũt, gẽtiũ lege aliũ seruũ, aliũ esse liberũ, hũc & illũ iure naturæ minime differre, iccirco eiusmodi dominatũ propterea quòd per vim irruperit in hominũ mores, iniustũ & iniquũ videri. Quũ igitur quæsita res, & opũ facultas sit pars domus, ars & ratio qua acquiruntur opes, pars œconomiæ iudicãda. Nã sine rebus necessariis haud fieri potest vt viuamus, & bene viuamus. vt enim artibus ad certũ finẽ destinatis propria, vt cõficiatur opus, instrumẽta adhiberi necesse est, sic etiã adhibenda vis instrumentorum quæ res priuatorum & œconomia desiderat. Ex instrumẽtis alia sunt inanima, alia viua & animata, vt nauigii gubernatori clauus est inanime, proræ moderator, animatum. In artibus enim is qui subministrat, speciẽ gerit instrumenti. Haud secus vnum aliquod bonorum patris familias, instrumentum est in vsu vitæ. Omnes illius fortunæ, instrumentorum multitudo. Seruus autem

in fortunis eius animata res,atq; minister omnis quasi instrumentum est antecedens ac promouens instrumenta. Etenim si omne instrumentum, aut iussum, aut præsentiens,peragere opus suum posset,vt aiunt Dædali statuas,aut Vulcani tripodas,quos poeta canit diuinum certamen iniuisse per se,hoc modo pectines vltro texerēt,& plectra cithara canerēt, haudquaquam opus haberent neque architecti ministris, neque domini seruis.Igitur illa quæ dicuntur instrumenta,sunt effectionis,& a græcis ποιητικὰ nominantur. Quod vero possidemus, actionis est, & iccirco πρακτικὸν dicitur ab illis. A pectine quidē præter eius vsum,aliud quiddam proficiscitur, à veste & à lectica nihil aliud quàm vsus. Ad hæc,quoniā specie differunt actio & effectio,& vtraque suis instrumentis eget,necesse est ipsa quoque instrumenta idem habere discrimē.Vita porro est actio,nō effectio.Quāobrem seruus est administer eorum quæ pertinent ad actionem.Id autem quod possidetur bonorum,sic est domini sui,quemadmodum particula totius esse dicitur.Nam particula non alterius est modò particula, sed omnino alterius,hoc est re ipsa ac nomine.Sic habent & hominis facultates.Dominus igitur,serui dūtaxat est dominus, non est in serui potestate. Seruus non solum domini seruus, verumetiam illius omnino subiit potestatem.Ex his planum fit,quam seruus habeat vim atque naturā. Quisquis est homo nō sui natura, sed alieni iuris, ille iure naturæ seruus: Qui tametsi homo est,quatenus tamen possidetur ab alio,

non eſt homo, ſed mancipium & inſtrumentum ad agendum,quod a toto ſeparari poteſt. Poſtea videndum,natura ne ſeruus aliquis ſit,an non: aliquém ne ſeruire iuſtum ſit,ac magis optãdum:an vero ſeruitus omnis contra ius naturale fuerit introducta. Nec eſt ardua atque difficilis hæc quæſtio, ſi ratione nitamur,& ea quæ bona ſunt atque vtilia diſcamus. Etenim imperare,& imperanti parêre, nõ modò neceſſaria, ſed etiam vtilia ſunt,& expetenda. Et ſtatim principio naſcendi quædam videntur eſſe diſtincta, alia ad imperandum nata,alia ad obtemperandum. Multæque ſunt ſpecies ac formæ & eorum qui tenẽt principatum, & eorum qui alieno ſubiiciuntur imperio. Sempérque melius eſt imperiũ,cui quæ parẽt, meliora ſunt atq; præſtantiora,vt illud quod habetur in hominem,quàm quod in belluam. Nam quod exercetur a præſtantioribus,illud eſt officium præſtantius. Et certe vbi aliud regit, aliud regitur,munus eſt ac officium. In omnibus quę multis ex partibus coaleſcunt,& in vnum quiddam commune rediguntur, ſiue continua aut coniuncta ſunt membra,ſiue diuiſa atque deiuncta,perſpicuum eſt & quid teneat imperium,& quid ab eo regatur. Iſtud rerum natura indidit rebus animatis. Quinetiam rebus inanimis eſt aliqua ratio principatus,vt eſt concentus eius & cõcordiæ quam ἁρμονίαν græci vocant. Sed hæc forte nimis alienæ ſunt contemplationis. Prima compoſitione animal ex corpore & anima cõcretum eſt,ex quibus altera lege naturæ compos eſt imperii, alterum

illius ſubiectum poteſtati. Id autem quod eſt naturale, nõ in deprauatis atque corruptis, ſed in iis quæ naturam ſeruant integram, videre par eſt. homo igitur optima corporis & animæ cõſtitutione, in quo aperte inuiolata natura demonſtratur, ad hanc obſeruationem eligendus. Improborum quidem, aut male affectorũ corpus, propterea quòd vitio laborant, atq; præter naturam ſe habent, animæ imperare ſæpenumero videbitur. Eſt igitur, vti dicimus, animal in quo maxime imperium & herile & ciuile videre poſſis. Animus enim in corpus, qualem in ſeruũ dominus, habet poteſtatem, mens autem in appetitum, ciuile & regium exercet imperium. In quibus nemini dubiũ eſt eſſe naturale atque vtile animum imperare corpori, mentem atque rationem ei particulæ moderari, quæ perturbatione mouetur & affectu: æqualitatem, aut præpoſterum imperium omnibus eſſe pernicioſum. Eadem ratio in homine & aliis animantibus iterum ſpectanda. Manſueta feris meliora ſunt natura. His omnibus, vt ab homine regantur, magis eſt expetendum, quoniam hoc pacto ſeruantur. Similiter etiã natura marem a fœmina diſtinxit, illum meliorem, hanc deteriorem: illum principem, hanc morigeram eſſe iuſſit. In omnibus hominibus eandem eſſe rationem neceſſe eſt. Inter quos igitur tantum eſt dignitatis interuallum, quantum inter animum & corpus, inter hominem & beſtiam, ii ſimili naturæ lege ſunt conſtituti. Quorum opera atque actio ab vſu corporis petitur, nec melius quicquam profiſcitur ab illis, ii quidem

quidem certe iure naturæ serui, quibus, haud aliter atque iis quæ diximus, hoc imperio dirigi melius est ac vtilius. Natura profecto seruus, qui ideo est in alterius potestate, quòd ei solum natura concedit, vt alterius esse possit, quique rationis sic est particeps, vt illam sentiat, nõ habeat apud se. Nam cæteris animantibus nullus est rationis sensus, affectibus sensuumque motibus obediunt. Cæterum vsus vtilitas vè quæ percipitur vtrinque, non magnum habet discrimen. Etenim tam serui quàm bestiæ mansuetæ ad res corpori necessarias ferunt opẽ. Vult igitur hanc natura varietatem, ac dissimilia gignit corpora liberorũ atque seruorum. hæc enim robusta facit ad vsum necessarium, illa recta quidem, sed inutilia ad operas generis huius, vtilia ad ciuile viuendi genus, quod diuisum est in opportunam tum belli, tum pacis moderationem. Sæpe tamen accidit contrarium, alios habere corpora liberorum, alios animis ingenuis præditos esse. Certe nemo dubitat quin fateantur omnes non indignum esse, reliquos iis seruire, qui quantum imagines deorum, tantum vel vna forma corporis antecellunt. Quod si in corpore istud est verum, multo iustius idem in animo confirmasse. Sed non vt corporis, ita animi quoq; pulchritudinem videre facile est. Alios igitur esse natura liberos, alios seruos, quibus seruitus est vtilis & iusta, planum fecimus.

QVI contraria affirmant, illos etiam vere dicere minimo negocio cognoscas. Nam duobus modis seruitus dicitur, & seruus. Aliquis enim lege seruus est Cap. 4.

ac ſeruit. Lex eſt quædam ſanctio communis & conſenſio qua iubentur apprehenſa bello, eſſe in eorum poteſtate, qui apprehenderunt. Hoc ius plerique legũlatores iniquæ rogationis accuſant: quippe graue fore & periculoſum, ſi viribus ſuperior, qui vim afferre poteſt, ſeruitute & imperio premat eũ cui vim attulerit. In hac opinione ſunt & ſapientium nõnulli, ſed & altera ſapientes habet aſſertores. Ex eo dubitatio ſentiendíque varietas exoritur, quòd virtus cui quodammodo ſuppetunt omnia, vim afferre maxime poteſt, & ſemper id quod vincit, plus habere boni cuiuſdã videtur. hinc enim ſuccreuit opinio, vim ſine virtute eſſe nõ poſſe, de iure tandẽ ſolũ natam eſſe dubitationẽ, quandoquidẽ aliis beneuolentia ius eſſe, aliis idipſum iuſtum videtur, imperare validiores. Quum diſſentaneæ ſint atque diſcordes hæ ſententiæ, altera quæ cenſet non oportere id quod virtute præſtantius eſt, imperium obtinere, nihil habet neq; firmum, neque credibile. Nam qui ſic iudicant, propterea quòd lex quoddam ius eſt, iure aliquo niti ſibi videntur, iccirco bellicam ſeruitutẽ affirmant eſſe iuſtam. Simúlque non affirmant, quoniam interdũ accidit cauſam bellorum non eſſe iuſtam, & illorum nemo tam abhorret a veritate, vt confirmet eum eſſe ſeruũ, qui dignior eſt quàm qui ſeruire debeat. Alioquin accidet optimè natos, & animi ſumme generoſi exiſtimationem adeptos, ſi forte capti veneãt, ſeruos eſſe, atque numero mãcipiorum teneri. Quapropter hos non ſeruos quidem, ſed barbaros appellare volunt.

lunt. Verùm quum iſtud inquiunt,oſtendunt ſe nihil aliud quærere, quàm quod principio diximus, naturæ lege ſeruum. Tales eſſe quoſdam & eos quidem vbique ſeruos,alios vero nuſquam,fateri neceſſe eſt.Eodem modo & de ingenuitate nobilitatéque dicendum:qua qui præditi ſunt,non apud ipſos modò, verùm etiam apud alios omneis exiſtimant ingenuos.Barbaris non alibi quàm domi nobilitatem concedunt: quaſi aliud ſit abſolutè nobile, ingenuum, ac liberum, aliud nec abſolutè,nec ſimpliciter.In eam ſententiam loquitur apud Theodecten Helena,

Cuius parens vterque magnus prodiit
E ſtirpe diuûm,nunquis ancillam vocet?

Quod eorum verba demonſtrant,non alia re quàm virtute & vitio ſeruum atq; liberum,nobilé, & obſcuro loco natum definiunt. Exiſtimant enim vt ex hominibus hominem,ex beſtiis beſtiam,ſic & è bonis bonum gigni. Id certè frequenter natura cupit, ſed enim perficere non poteſt. Demonſtratum eſt igitur aliquid rationis habere dubitationé,& alios eſſe natura ſeruos, alios verò liberos. Explicatum eſt etiam nonnihil ſimile & in quibuſdam inueniri, quorũ vni ſeruitus, alteri dominatus eſt vtilis. Ius eſt autem & oportet aliud obtemperare, aliud exercere quod vtriuſque naturæ conueniat, imperium. Haud ſecus aliud ſeruire par eſt, aliud eam quæ vtrique natura ſit ex vſu,habere domini poteſtatem. Quod male & repugnante iure naturæ inuertitur,vtrique inutiliter

& incommode cedit. Idem certè parti quod toti, idē corpori quod animæ conducit. Seruus quædam pars est domini sui, ac veluti membrū corporis animatū, pars inquam seposita, & à corpore disiuncta. Seruo igitur & domino, si quam natura dedit conditionem teneant, mutua est vtilitas & amicitia: contrà iis qui nō hoc pacto, sed lege & vi copulati sunt, incommoda & inimicitiæ. Quæ diximus, aperte demonstrant id esse falsum quod dixere quidā, herilis & ciuilis aliorumq; principatuum eandem esse rationem. Principatus alius est hominū natura liberorum, alius seruorum. Qúmque domus omnis ab vno regatur, imperium domesticum monarchia & vnius principatus est, in impares: magistratus autem ciuitatis, in liberos ac pares. Dominus igitur & seruus & liber nō scientia, sed vnde nomem habent insita qualitate distinguuntur. Cæterum scientiam & herilem & seruilem reperias: Seruilē, cuiusmodi Syracusis quidam instituit. Is enim in ea ciuitate accepta mercede pueros vulgaria triuialiáque ministeria docebat, in quibus plerunque nonnullam inuenias disciplinā, qualis est culinaria, ac eiuscemodi alia ministerii genera. Nam quædam ministeria sunt honoratiora, quædam magis necessaria, & iuxta prouerbium

Est herus hero, seruúsque seruo dignior.

Atqui omnes eiusmodi scientiæ seruiles sunt, & illiberales. Est autem domini sciētia, qua scit vti seruis. Nec enim quòd illos possideat, sed quòd eis vtatur, est dominus. Nihil magnum & graue continet hæc scientia.

ſcientia. Quæ ſeruum ſcire facere oportet, ea dominus ſcire iubere debet. Hoc igitur quicquid eſt honoris, alteri demãdatur ab iis qui id ſine ſuo malo facere poſſunt, & ii ſe ad reip. adminiſtrationẽ vel ad ſtudium ſapientiæ conferunt. Alia ſcientia eſt qua parantur opes, quæ neutra iſtarum comprehenditur. Generis huius eſt bellica quæ iure exercetur, & venatoria. Hoc modo de ſeruo & domino ſit explicata quæſtio.

QVVM ſeruus ſit pars aliqua fortunarum patriſfamilias, illo modo de tota ratione facultatum & arte rei comparãdæ diſſeramus, quem ceu ducem in explicanda ea parte ſecuti ſumus. Primum igitur dubitet quiſpiam, ánne ſciẽtia cõficiendæ pecuniæ (pecuniam dico bona tum mobilia tũ immobilia) ſit eadẽ quæ œconomica, an œconomicæ pars, an eius adminiſtra. Quòd ſi eſt adminiſtra, illíne ſubſeruiat quemadmodum pectinaria textoriæ, an vt æraria ſtatuariç. Nec enim verſantur in eodem genere miniſtrãdi, ſed illa ſuggerit inſtrumenta, hæc materiam ſuppeditat. Materiã dico id quod ſubiicitur, & ex quo opus efficitur, vt ſunt vellera textori, æs ſtatuarũ artifici. Certe non eſt eadem ars œconomica, & ea quæ verſatur in re quærẽda. Huius eſt rem quærere, illius vti quæſita. Quænam alia rebus domeſticis vtetur præter œconomicam? An vero ſit illius pars, an alia ſpecies, hoc quidem non ſine dubitatione eſt. Nam ſi eius eſt qui rem cenſúmque procurat, videre vnde res & facultates ſuppetẽt, hæ quidem facultates & opes mul- Cap. 5.

tas continent partes. Itaque primum quæri poteſt an agri colendi, & in vniuerſum an alimenti curandi & obtinendi ratio, ſit aliqua pars ſcientiæ quę parandæ rei dat operam? an aliud quoddam genus? Enimuero multæ ſunt alimenti ſpecies, ideóque multa & beſtiarum & hominum vitæ genera. Nō enim fieri poteſt vt ſine alimento viuat animal. itaque differentiæ nutriendi vitam animantium fecere diuerſam. Beſtiarū igitur quædam ſunt gregales, quædam ſolitariæ, vt hoc aut illud viuēdi genus conducit in earum victū. Hinc fit vt aliæ animātibus, aliæ fructibus, aliæ omnibus veſcantur. Itaque ad viuendi tranquillitatem facilitatémque, & ad id quod ſectantur, explendum deſiderium, natura multa vitæ genera diſtinxit. Quòd igitur nō idem cuique naturaliter eſt ſuaue, ſed aliis alia placent, vita differunt illæ quibus animal, & illæ quibus fructus eſt eſca. Sic quoque res eſt hominum. Multæ quidem & variæ ſunt illis differentiæ vitæ. Ignauiſſimi, pecuarii ſunt atque paſtores, quoniam ſine labore vitam ducentes ocioſam, ab animantibus placidis alimentum percipiūt. At quoniam pecus ad inueniēda pabula mutare locum neceſſe eſt, ipſi quoque non aliter atque ſi viuentem exercerent agriculturam, ſubſequi coguntur. Sunt qui victitant præda, nec omnes eâdem, ſed exempli gratia quidam rapto, quidam piſcatu, qui ſtagna ac paludes atque flumina aut mare, quod ſimiliter piſcatoribus peruium eſt, accolunt. Quidam ſibi victum parāt aucupio, vel beſtiarum agreſtium venatu. Sed maxima pars hominum

è terra

è terra fructibúsque mitibus viuit. Tot igitur ferme sunt genera vitæ, quot habent natiuam rei comparandæ facultatem. Non autem per commutationem & numariam negociationem sibi alimentum quærūt vita pastoralis, terrę cultrix, raptoria, piscatoria, venatoria. Sunt qui duas ex his plurésve miscent, & vitam plurimis rebus egentem, qua deficit implentes, vt sibi sat habeat multa, suauiter iucundéque viuunt, vt nonnulli pastoralem simul atque raptoriam, alii georgicam venatoriámque. Haud aliter & in aliis viuēdi generibus pro necessitatis imperio se habent. Talis igitur ratio victus habendi, omnibus animalibus quemadmodum statim à primo satu inchoatis, sic etiam perfectis à natura data videtur. Etenim quædam animantia initio tantum vnà cum fœtu pariunt alimentum, vt satis multum sit quoad id quod genitum est, sibi ipsi victū cōparare possit, vt quæ vel ouū pariūt, vel fœtum nec ouum nec animal edūt. Quæcūque animantem pariunt, ad aliquod tempus habent in se alimentum suæ stirpi, naturam gerés eius quod lac nominatur. Existimādum quoque sine dubitatione & perfectis suppetere cibum, stirpésque animantium causa, cæteras animātes hominū gratia viuere: cicures, vt & vsui sint, & cibo: feras, si nō omnes, plurimas tamē, vt victui & aliis adiumētis, vt ex his vestis aliaq; instrumēta fiant. Si natura igitur nihil imperfectum, nihil temere facit, necesse est illam propter homines ista omnia procreasse. Quapropter ars bellica natura ad acquirendi scientiam quodammodo perti-

nebit. Nam & venatoria, pars illius est, qua & in bestias vtendum, & in eos homines qui imperio ferendo nati, parêre nolunt, quia natura iustum est hoc & æquum bellũ. Vna igitur species artis eius quæ parat opes naturaliter, œconomicæ pars est. Illius beneficio aut rem esse partam opus est, aut ipsam quærere, vt suppetant eæ res, quæ colligi & aceruari solent ad vitam necessariæ, ac vtiles ad ciuitatis aut domus societatem, ex quibus veræ sunt diuitiæ. Certè sic quæsitæ rei modus, qui satis est ad bene viuendum, non persequitur infinitum, vt inquit Solon carmine,

Nullus opum modus est, quem certum imponat auarus.

Statuitur interdũ perspicuus, vt cæteris artibus, quia nullius artis instrumentum neque multitudine neq; magnitudine infinitũ. Diuitiæ autem instrumentorũ multitudo est priuatorum atque publicorum. Esse igitur naturalem quærendę rei scientiam & iis qui in re sua familiari, & iis qui in republica versantur, & cur ita sit, planum fecimus.

Cap. 6. SCIENTIA quæ in cõparandis opibus versatur, aliud continet genus quod pecuniarium potissimum vocant, & iusta appellationis huius est causa. Propter id genus nullus videtur esse modus habẽdi, nullus finis acquirẽdi. quod quidẽ & illud de quo ante dictũ est, propter viciniã atque affinitatẽ, quasi vnum & idem esse plures arbitrãtur. Verum enim neque est idem, neque hoc ab illo procul distat. Alterum quidem natura, alterum non illa, sed experientia quadam

quadam potius & arte constat. de quo dicturi hinc sumamus exordiũ. Duplex est vsus cuiusque rei quę a domino possidetur, vterque per se quidem, at non eodem modo per se, sed alter est rei proprius, alter haudquaquam proprius, vt calceamenti, vnus, quo pedibus circũdatur: vnus, quo rebus aliis commutatur. Hi calcei duo sunt vsus. Etenim qui calceatus egenti commutat illum pecunia vel alimento, calceo quia calceus est vtitur: sed quia non commutandi gratia factus est, haud propriũ seruat illius vsum. Sic est in aliis rebus quæ possidentur. Omnibus in rebus permutationis est vsus, qui primum cepit initium à naturali genere bonorum, propterea quòd homines quædam redundantiora, quædam minora quàm quę opus essent, haberent. Ex quo planum fit artem pecuniariam vel numulariam minimè pertinere ad eã œconomicam negociationem, quæ profluxit è natura. Nam quantum satis erat indigentibus, tãtum promouenda fuit commutatio. Itaque in communione prima, hoc est in societate domus, perspicuum est illa nihil opus esse, sed tum demum habere locum, quum auctior est atque numerosior communio. In societate maiore quidam omnia habebant communia, quidam plurima tenebant propria ac separata, quæ pro necessitatibus vitæ erant necessariò permutanda, quẽadmodum etiam nunc multæ barbarorũ gentes vtilia duntaxat permutant vtilibus, vt pro vino frumẽtum & id genus alia tradunt & accipiunt. Istiusmodi experientia mutandi neque præter naturam est, nec

vlla ſpecies artis eius quæ pecuniaria ac numularia vocatur. Non enim rem auget familiarem, ſed implet id quod deeſt, vt tantum habeatur, quantum natura deſiderat. Ex commutatione tamen, quia ratio ſuadebat, pecuniaria fuit introducta. Quum enim longinquiores populi ſibi mutuò ferrent opem, & inueherent ea quibus egebant, exportarent illa quibus abũdabant, numi neceſſariò quæſitus eſt vſus, propterea quòd haudquaquã portatu facile, quicquid vitæ neceſſarium voluit eſſe natura. Quamobrem ad res cõmutandas inſtituerunt de communi conſilio dare & accipere aliquid vtile quidem per ſe, cuius etiam perfacilis ac maximè tractabilis vſus eſſet ad vitam, quod genus eſt ferrum & argentum, & ſiquid eſt eiuſmodi. Hoc primùm ſimpliciter magnitudine & pondere definitum: ad extremum ne pondus & menſurã examinare cogerẽtur, formam addiderunt & effigiẽ. Figura quidem & character impreſſus eſt, vt ſignum quantitatis eſſet. Numo iam ex neceſſaria commutatione comparato, ſpecies altera pecuniariæ ſuborta eſt, cauponatrix ac quæſtuaria, quæ principio fortè ſimpliciter exercebatur, deinde creſcẽte experiẽtia facta peritior artis inuenit vnde & quomodo cõmutãs plurimum faceret lucrum. Quamobrem ſcientia cõficiendæ pecuniæ maximè in numo poſita videtur, & eius officiũ putatur diſpicere poſſe vnde magna vis conficietur pecuniarum, quippe quæ diuitiarum exiſtimatur effectrix atque numorũ. Diuitias enim mortales ſæpe ſtatuunt magnam vim copiámque numorum.

rum,propterea quòd opinantur in ea re verſari artē faciundæ pecuniæ, atque ſcientiam numulariam. Eſt quando rurſus vana res atque nugalis,& naturæ iure nulla omnino videtur numus: & iſta, ſi ſola eſt,numularia ſiue lex,ſiue conſuetudo:quoniam ſi qui vtuntur hoc more, mutant illum, neq; vllo precio dignus, neque ad res vitæ neceſſarias vtilis eſt numus, ac ſæpenumero diues illius eget alimento neceſſario. atqui vanæ & inutiles ſunt iſtiuſmodi diuitiæ,quibus abundans homo fame perit,vt interiiſſe Midam illū aiunt in fabulis,quoniam vt auarus atque inſatiabilis optauerat, omnia quæ apponebantur ipſi,aurea fiebant.Iccirco alias quærunt opes,& aliud habendæ rei genus.& rectè quidem quærunt. Eſt alia ratio parãdæ rei,& alius diuitiarū modus è natura.Et hæc ſpecies eſt œconomica, illa verò cauponatrix ac quæſtuaria,quæ ſicut verſatur in numis,ita pecunias cōficit,non quidē omnibus modis,ſed per mutationem pecuniarum,quia numus eſt principium mutationis & finis.Nullus autem poſitus eſt terminus iis diuitiis quæ ab hoc negociandi genere comparantur. Nam quemadmodum medicina ſine fine ſanare contendit, & artes omnes quoniã id cui ſunt deſtinatæ, efficere maximè deſiderant, nullum ſui finis modum conſtituunt,(tametſi quæ præcurrunt ad aſſequendum finem, proptereaquòd omnibus illis finis eſt extrema meta,non ita ſine modo protrahuntur)ſic & hoc negociãdi genus nullum ſui finis terminum ſiſtit. Finis eius diuitiæ ſunt,quæ numularia poſſeſſione conti-

nentur. Itaque œconomicę, non item pecuniarię definitus est terminus. Non hoc œconomica suscepit, nullum augēdę rei facere finem. Quapropter huius instituto necessarius esse videtur omnium facultatū terminus: quanquam in hac rerum tractatione video accidere contrarium. Nullus eorum qui versantur in quæstu pecuniarum, modum finémque imponit augēdo. Id efficit huius artis & illius ratio finitima. Nā eiusdem rei mutatur vsus, quum sit vterque scientiæ rei quærendæ. Vtēdi gratia numus comparatur, sed nō eodē modo semper. Oeconomicæ negociationis alius est finis: numulariæ, incrementum pecuniarum. Propter hanc viciniam quibusdam videtur hoc esse œconomicæ officium, & manent in ea opinione, vt existiment opus esse numarium bonum vel seruare vel augere in infinitū. Causa affectionis huius est studium viuendi, non autem bene viuendi. Quum igitur illa habendi cupiditas nullum statuat finem, ex quibus pecuniæ conficiuntur, infinita mortales appetunt. Qui verò bene viuere affectant, etiam fortunas immensas, quò fruatur illis corpus, inquirunt. Quum igitur illis bene viuendi facultas in possessione bonorum esse videatur, omne studium & omnem exercitationem ad sectandum lucrum conferunt. Ex quo species altera scientiæ rei comparandæ prodiit. Nam quum bonis vltra modum fruātur, aut frui cupiant, artem quærunt vnde immoderata fruendi ratio conficiatur. Quòd si per artem quæ bona quærit, illæso iure naturæ nequeant id sibi parare, hoc experiuntur

nomi,& imperantis,valetudini proſpicere,quodam-
modo nõ ſit,at medici:haud ſecus eſt œconomi quo-
dammodo adhibere curã pecuniarum, quodammo-
do non eius eſt,ſed artis illius quæ pecuniam ſubmi-
niſtrat. Sed vti dictum eſt,id maximè in quo verſatur
œconomus, vt antè ſit natura eſt neceſſe. Naturæ
quidem munus,illi quod genitum eſt,alimẽtum dare:
quoniam vnicuique victus eſt id quod ex eo reſtat
vnde procreatur. Quocirca naturalis eſt omnibus
habendi ratio, quæ de fructibus manat & animanti-
bus. Quũ ſit,vt diximus,ars habendæ rei duplex,vna
cauponatrix & numularia,altera œconomica,hęc ne-
ceſſaria,& quę laudatur,illa mutatrix,& quę iure im-
probatur (nec enim è natura, ſed è mutuis hominũ
permutationibus eſt)optimo iure laborat odio nego-
ciatio fœneratorũ, quia ab ipſo numo quæſtũ petit,
nõ id propter quod inuentus eſt, quippe qui gratia
mutãdi fuerit inductus. Etenim fœnus auget numũ,
vnde etiã cepit hoc nomẽ. Similia porrò ſunt ea quæ
pariũtur, gignẽtibus: in fœnore numus paritur à nu-
mo. Quãobrẽ vel maximè pręter naturã eſt illa quę-
ſtus faciẽdi ratio. Quoniã ſatis copioſe quę ſunt co-
gnitionis explicauimus,operæpreciũ eſt ea quæ ſunt
vſus, ſermone permeare. Omnia certè quæ ſunt ge-
neris huius,liberalẽ & ingenuã habẽt cõtẽplationẽ,
experientiã verò neceſſariã. Sciẽtiæ negociandi reiq;
cõparandæ partes ac plenum vtilitatis officiũ eſt, o-
pũ cognitione & experiẽtia præſtare, atq; peritia cal-
lere quæ maximè ſint vtiles,& vbi,& quomodo: exẽ-
pli gratia

pli gratia quales equi ſint habendi, aut boues, aut oues, atque ſimiliter reliquæ animantes, debet œconomus experiens & peritus eſſe, vſúque cognoſcere quæ animantia collata cum aliis valde ſunt vtilia, & quæ quibus locis maximè præſtant. alia quidẽ in aliis regionibus vberiora naſcuntur, atque fœliciora. Aut habenda peritia agri colendi, huiúſq; rurſum & nudi & conſiti, necnon apes curandi, cæteráſque animantes natatiles aut volucres, ex quibus œconomia poteſt iuuari. Hæ ſunt igitur præcipuæ & primæ partes eius artis quærendi facultates, quæ maximè naturalis eſt, domuſq; propria. Sciẽtiæ cõmutatricis ampliſſima pars, mercatura. Partes huius tres, nauigatio, vectio quæ plauſtro fit aut iumento, paraſtaſis, id eſt mercatus qui non longinqua petit, at propius exercetur. Differunt hæ ſpecies, propterea quòd aliæ tutiores, magíſque ſummotæ â periculo, aliȩ vberiorem fructum referunt. Altera pars commutationis, fœneratio. Tertia, opera quæſtuaria, ſiue operæ locatio. huiuſce duæ formæ, altera artium ſordidarum, vt quæ perficiunt opus ignis adiumẽto. altera non artificioſarum operarum, quæ ſolo corpore vtilitatem ferũt. Quarta ſpecies ſcientiæ rei parandæ medium inter hanc & primam locum tenet: habet enim partem ſcientiæ acquirendi naturalis, partem illius quæ mutationem facit. Rem quærit e terra, atque ex iis quæ naſcuntur ex illa, non fructibus quidem, ſed rebus nobis vtilibus, cuiuſmodi eſt cædua materia, ac res omnis metallica. Hæc autem multa rurſus genera cõ-

plectitur: multæ quidem ſpecies eorum quæ fodiuntur è terra metallorum. De ſingulis horum in vniuerſum verba fecimus in præſentia. Particulatim ſubtiliter diſputare, vtile quidẽ foret ad agendum, & operas collocandas: verùm graue & oneroſum hac in re commorari. Ex iis quas artes œconomicæ & illiberales exercẽt, operis, plurimi ſunt artificii, in quibus eſt minimum fortunę. Illæ perquam ſordidę, quibus maximè vitiãtur corpora atque corrumpuntur. Maximè ſeruiles, quæ plurimos corporis vſus exigunt. Ignobiliſſimæ, quibus minimum virtutis opus eſt. Hiſce de rebus quum ſcripta quidam reliquerint, vt Chares Parius, & Apollodorus Lénius de colẽdo agro tum nudo tum conſito, ſimiliter alii de cæteris rebus, præcepta colligant ex illis atque cognoſcant ii quibus iſtud eſt curæ. Præterea colligenda ſunt quæ paſſim narrantur acquirendi genera, vnde quibuſdã rem augere ſtudentibus ex animi ſententia ſucceſſit. Sunt hæc omnia lucrum ſectantibus vtilia, quale eſt illud Thalis Mileſii, (Excogitata quidem res eſt ad opes augendas non inutilis, ſed illi propter hominis ſapientiam attribuunt. Et accidit hic quæſtus, quippe qui vni cuidam ab vniuerſa multitudine colligitur) Quum à ſuis propterea quòd pauper eſſet, obiurgaretur, quaſi inutilis eſſet illi philoſophia, ferũt hyeme prouidiſſe aſtrorum ſcientia, olearum vbertatem futurã: paucis auctũ pecuniis, arrhabones dediſſe olearum omniũ quæ in agro Mileſio colebãtur & Chio, paruo coëmiſſe, quippe quas pluris nemo liceretur.

Quum temporis opportunitas venisset, multis oleũ quærentibus, eodem tempore & repentè quẽadmodum volebat, vendidisse, magnamq; pecuniarum vim coegisse, & ostendisse facile esse philosophis ditari si velint, sed illos huic rei studium non applicare. Thales itaq; dicitur hoc modo vim sapientiæ demonstrasse. Est, vti diximus, augendæ rei genus, quod vni ab vniuersa multitudine conflatur, quum monopolii ius aliquis sibi quæsiuit, effecitque vt esset penes vnũ se certæ rei vendũdæ potestas. Quamobrẽ quædam ciuitates quum pecuniis egent, hoc genus vsurpant, rerúmque venalium monopolium sanciunt. In Sicilia quidã cui pecunia domi esset, omne ferrũ coëmit è ferrariis officinis. Postea quũ mercatores venissent, venditis quę habuerant, vendidit solus, non ita longè progressus vltra precii modum: attamen expensis talentis quinquaginta, centum recepit. Quum sensisset illum Dionysius, edixit vt pecunias quidem asportaret, ne tamen postea Syracusis maneret: vt qui inuenisset quæstus tyranni rebus inutiles. Eãdem lucri faciundi rationẽ Thales & iste viderunt. Excogitarunt enim, & solertia quadam inuenerunt, quo pacto soli ex omnibus rem venderent. Ista cognoscere prodest & illis qui rempublicam administrant, quoniã multæ ciuitates quantum domus, & amplius, pecuniæ confectione & huiusmodi quæstibus egent. Inde fit vt nonnulli qui officio publico funguntur, hæc solùm administrent.

QVVM sint tres œconomicæ partes, vna heri- Cap. 8.

lis,de qua prius habitus eſt ſermo, vna patria aut pà-
terna,tertia affinis,harum iure paterfamilias vxori &
vtriuſque ſexus ſtirpi non vt ſeruis,ſed liberis impe-
rat, alio tamen & alio imperandi modo: vxori quidē
imperio ciuili,ſtirpi autem regio principatu. Natura-
liter enim mas principatu dignior eſt quàm fœmina,
niſi forte præter naturam ſint conſtituti:itémque ſe-
nior,& integritatem magnitudinis & ætatis conſecu-
tus, quàm iunior & is qui nondum ſuæ perfectionis
attigit punctum. Verùm in plurimis magiſtratibus
ciuitatis mutatur is qui imperat,& qui ſubiicitur im-
perio,quia vult eſſe pari iure ex æquitate naturæ,nec
vlla differētiæ varietate diſtingui.attamen quū magi-
ſtratum gerit hic, & priuatus ille paret, ratio poſcit
vt diſcrimen ſit in habitu,& verbis,& honoribus, vt
oſtendit Amaſis in ea quam de pelui,aut ſi mauis,de
ſolio in quo pedes lauabātur, habuit orationem. Nō
ita maris & fœminæ cōmutatur imperium, ſed omni
tempore vno & eodem modo viro ſubiicitur vxor.
Patris in liberos eſt regia poteſtas. Nam parens quòd
& amicus & natu maior eſt, præficitur, quæ ſpecies
eſt regię poteſtatis. Scitè igitur Homerus Iouem,qui
omnium rex eſſet deorū & hominum, vocabulo pa-
tris appellauit,hoc modo locutus,

Parens hominúmque deúmque.

Natura quidem antecellere, idem tamen genere eſſe
debet rex,quod ſeniori in iuniorem,parenti in libe-
ros datum eſt. Perſpicuum eſt igitur œconomiā plus
adhibere diligentię curandis hominibus,quàm rebus

inanimis

inanimis, & plus operæ dare hominum virtuti, quàm viribus rerum quas appellamus diuitias: maiorémque liberorum quàm ſeruorum verſare curam. De ſeruis igitur dubitare primùm licet, ſeruíne pręter virtutes inſtrumentarias & adminiſtras ſit alia quædam præſtantior, vt temperantia, fortitudo, iuſtitia, & aliorum generis eius habituum quiſpiam: an nulla ſit omniũ, præter ea miniſteria quę corpore præſtantur? Rationes vtrinque pugnant, vnde oritur iſta dubitatio, Siqua liberaliore virtute præditi ſint, quidnam different à liberis? Si nulla, quum ſint homines, quum ſint mẽtis atque rationis participes, videtur abſurdum. Eadẽ ferè de muliere & puero quæſtio eſt, an & horum ſunt virtutes? debétne mulier eſſe tẽperata, & fortis, & iuſta? Cadítne in puerũ proteruitas & tẽperantia, an non? Et in vniuerſum de iis quorũ alterum præfici, alterum ſubiici natura voluit, quærẽdum videtur vtrum eadem eſt vtriuſque virtus, an varia atque diuerſa. Etenim ſi probitatis ambos oportet eſſe participes, quid eſt cauſæ cur hic omnino ſine vlla mutatione princeps, ille imperio ſubditus eſſe natura debeat? Nec fieri poteſt vt eò differãt, quòd alter magis aut minus excellat. Imperium ferre, & imperare, ſpecie differunt, non itẽ magis & minus excellere. Quòd ſi vni modò non alteri virtus eſt habenda, mirum videbitur. Nam ſi qui tenet principatum, non erit temperans & iuſtus, quo pacto pulchrè & honeſtè rectoris explebit officiũ? Si qui gubernatur ab eo, carebit his virtutibus, quomodo bene dirigetur? Certè ſi

proiectus erit in libidines, siq; relicta fortitudine, vitioso & ignauo timore contrahetur, nihil faciet officio boni viri & honestati cōsentaneum. Non obscurum est igitur ambos oportere virtutis esse participes, sed illius differentias esse, quemadmodum & illorum quæ naturaliter alieno subdita sunt imperio. Istud breuiter explicetur in animo, in quo natura pars imperat, pars regitur ab illa: quarum variam dicimus esse virtutē, vt mentis quæ ratione prædita est, & appetitus qui rationis est expers. Certum est. eodē modo & in aliis rem esse. Itaque plura atque differentia sunt, quæ naturæ lege regūt & regūtur. Aliter enim liber imperat seruo, aliter mas fœminę, aliter vir puero. Omnibus insunt animæ particulæ, sed nō sine differentia atque varietate. Seruus omnino rationem deliberandi non habet. Mulier habet quidem, sed irritam. Habet etiam puer, sed immaturā & imperfectam. Haud aliter & in iis virtutibus quæ morales vocantur, rem esse necesse est. Existimandū omneis participes illarum esse oportere, non vt eundem parém ve modum capiant, sed quantum cuiusque poscit officium. Quapropter is cui cessit imperium, moralem virtutē debet habere perfectam, quia simpliciter gerit officium præfecti, qui habet statuēdi iubendíque potestatem. Ratio autem princeps, cui decernēdi potestas & imperandi. Aliis verò singulis tantum virtutis est habendum, quantum pertinet ad illorum munus & officium. Palam est igitur, omnium quos diximus, moralem esse virtutem, neque eādem mulieris & viri

tempe-

temperantiam, neque fortitudinem, neque iustitiam, vt Socrates existimabat. Alia fortitudo ad imperandum, alia ad subministrandū. Similis est in aliis differētia. Apertè videtur istud ab iis qui particulatim diligentius virtutes inspiciunt. Qui in vniuerso genere loquuntur, & inquiunt virtutem esse animum bene habere, aut agere rectè, aut tale quicquā, se ipsi decipiunt. Qui autē virtutes numerant, vt Gorgias, longe melius dicunt quàm qui sic definiunt in vniuersum. Itaque non secus de omnibus est iudicandum, atque poeta de muliere pronunciauit,

Silentium affert mulieri decus:
At non item virum exornat.

Quum puer suæ perfectionis haud attigit metā, certè virtus illius non est ea qua se ipse regat, sed qua perfecto ætate viro ducíque obtemperet. Non igitur ad ipsum, verùm ad alium, quemadmodum illa serui ad dominum, refertur. Statuimus autem ad necessaria ministeria vtilem & idoneum seruum. Itaque perspicuum est illum parua indigere virtute, nempe tanta, vt neque per intemperantiam & proteruitatem, neque per fortitudinis inopiam & laborum metum suo desit officio. Dubitet quispiam, si verum quod modo dictum est, an & artifices debeant habere virtutem? frequenter enim quòd se abiiciūt in libidines, munera ac opera sua relinquunt: an hoc plurimum differt? Nam seruus est in communione vitæ, artifex longius ab ea summotus, ad quem tantum pertinet virtutis, quantum seruitutis. Habet sordidus artifex

distinctam & assignatam quandam seruitutem. Praeterea seruus est natura. Nullus autem sutor, nullus alius artifex naturalis. Planũ est igitur eiusmodi virtutis authorẽ esse oportere dominum seruo, nõ aliũ quempiam, cui sit herilis quaedam ratio docendi praecipiendíque de seruitiorum officiis: ideóque perperã dicũt, qui seruos ratione priuant, & inquiunt eos nõ alio vti sensu, quàm iubentis potestate. Admonendi magis a domino serui, quàm à ductore pueri. Sed de his explicata sit hoc modo disputatio. De viro & vxore, de liberis & patre, de horũ virtutibus, qua simul cõsuetudine versari, quid honestũ & inhonestũ, quomodo bonum persequi, malum fugere debeant, in libris de administrationibus ciuitatum disserere congruens est. Quum domus omnis sit pars ciuitatis, & quę nunc dicebamus, sint mẽbra domus, quumq; virtutẽ partis ad eam quae totius est, spectare oporteat: necesse est illos qui reip. rationem habent, erudire liberos & vxores, si ciuitatis interest vt proba sit, ac bonis moribus conspicua: & pueros & mulieres studio virtutis atque probitate nõ carere. Interesse profectò necesse est. Mulieres enim dimidia pars est liberorum: ex pueris sufficiũtur ciues reip. Hisce de rebus quũ sit ita disputatũ, dicendúmq; sit in aliis libris de iis quae supersunt, relicto sermone praesenti vt ad extremũ finemq; perducto, aliunde exorsi de re proposita disseramus, primúmque videamus quas alii de optimo reip. statu dixere sententias.

ARISTOT.

ARISTOTELIS POLITICON
Liber secundus.



VIA nostrum est institutum ratione inquirere de cõmunione ciuili,& de optimo reipublicæ statu,ĩ quo ciues possunt quammaxime ex animi sententia viuere, operęprecioũ est (vt tam rectũ q̃ vtile ponatur sub oculos) alias inspicere mẽte respublicas, quibus vtũtur nonnullæ ciuitates bonis legibus, vt aiũt, institutæ: præterea si quas alias viri sapiẽtes sermone descripserũt, quæ bene habere videantur. Quòd siquid aliud etiamnum præter eas quæ sunt institutæ, quęrimus, nequis existimet velle nos omnino cuiquã more sophistarũ nebulas & vanitatẽ offundere, sed quòd malè habẽt eæ quæ nunc sunt respub. ideo rationis inisse viam, & hãc doctrinam adiecisse volumus videri. Principio sumẽdum exordiũ ab eo quod est huiusce cõtemplationis initium. Necesse est omnia aut omniũ ciuium esse cõmunia, aut nulla, aut partim cõmunia, partim propria. Quia respublica cõmunio quædã est, facile est cognoscere fieri non posse, vt in repub. nihil sit cõmune. Primum opus est locum esse communẽ, quia locus est vnius ciuitatis æqualitas, & ciues ciuitatis vnius participes. Vtrum si futurum est vt ciuitas sit frequẽs ac bene colatur, præstat omnia cõmunicari quæ possunt esse cõmunia, an quędã priuatim, quædam cõmuniter haberi? Nã fieri potest vt ciues inter Cap. 1.

ſe cõmunes habeãt liberos & vxores, & fortunę facultates, quẽadmodũ in rep. Platonis, vbi Socrates ait cõmunes eſſe oportere liberos & vxores, & bonorũ poſſeſſiones. Meliúsne in iis rebus hanc noſtrã ſeruare legẽ, an illã in Platonica ciuitate deſcriptam? Sanè iſte mulierũ cõmunis vſus gignit plures alias difficultates atq; moleſtias vitæ, non ſolùm ſermonũ altercationes: & illa cauſa propter quã Socrates affirmat iſtiuſmodi ferendã eſſe legem, nõ videtur rationibus eſſe deducta. Præterea eiuſmodi conſtitutio nullo modo poteſt ad eũ peruenire finem quem dicit (nã in ſermone paulò antè dixit) eſſe oportere ciuitati. Quomodo verò diſtribuenda ſunt quæ vult eſſe cõmunia, ab eo neq; definitum, neq; explicatum. Quum de fine loquor, hunc dico, omnem ciuitatem eſſe vnam, quamoptimum, quammaxime expetendum Socrati videri. Suſcipit hãc hypotheſin, hoc eſt, proponit hunc ſcopũ, & illum ſtatuit ſuæ reipublicæ finem. Atqui perſpicuum eſt, ſi progrediatur ad vnitatem, & vna magis magiſq; ſit, futurũ eſſe vt ne ciuitas quidẽ ſit Natura ciuitas eſt multitudo: quæ ſi magis vna fiat, domus erit ex ciuitate, & homo vnus ex domo. Dicemus enim domum eſſe magis vnam quàm ciuitatem, & hominem vnum quàm domum. Quamobrem ſiquis iſtud efficere poſſit, faciundum tamen non erit, quoniam ſi faxit, tollet ciuitatem. Non ex pluribus modò conſtat hominibus ciuitas, verumetiam ex ſpecie differentibus. Ex ſimilibus minimè coaleſcit. Nec eſt eadem ratio ciuitatis, &

multitudi-

multitudinis eius quæ in mutuã conſpirauit opem, ſimúlque pugnat vt exercitus. Quãtitate iuuat hæc multitudo, quanuis ſpecie non differat. Auxilii gratia pugnatorũ manus adiũgitur: vt ſi pondus, dum quãtitas illius augetur, plus atq; plus trahat. Eadem quoq; ratione differet ciuitas à natione, ſi modò natio nõ ſit diſperſa vicatim multitudo, ſed paſſim vaga ſicut Arcades. At illi ſpecie differunt, ex quibus vnã fieri ciuitatẽ neceſſe eſt. Quo fit vt æquabilitas alterna, iusq; par viciſſim redditũ, ciuitates cõſeruet. id quod antè in libris de morali virtute dictum eſt. Hoc certè quidẽ habere liberos ac pares neceſſe eſt: quia fieri non poteſt vt omnes vnà gerãt magiſtratum, ſed pauci, aut in annũ, aut in aliud tẽpus à poteſtate definitum. Hoc pacto fit vt imperẽt omnes, vt ſi coriarii alternis eſſent fabri, & fabri coriarii, non iidẽ ſemper aut coriarii, aut fabri. Quum melius ſit, vt artifices, ſic & communionem ciuilem nõ immutare vices: nemini dubiũ eſt quin ſi fieri poſſet, præſtaret eoſdem ſemper gerere magiſtratũ. Apud quos fieri nequit, propterea quòd omnes ſunt natura pares, ſimul iuſtum eſt (ſiue bonũ ſiue malum adminiſtrare rempublicã) omnes publici muneris eſſe participes, & apud illos imitari pares, & obtẽperare viciſſim, non aliter quàm quum principio pares erant. Partim illorum imperant, partim ferunt imperiũ viciſſim, velut alii facti. Eodem modo qui munere publico funguntur, alii gerunt alios magiſtratus. Ex iis quæ diximus, planum fit non eſſe cur ita ciuitas fiat

vna, quemadmodũ nonnulli dicunt, & quod ab illis dictum est quammaximũ esse bonum ciuitatibus, id perimere & tollere ciuitates, tametsi vnaquęq; res ab eo quod bonũ sibi est, conseruatur. Aliter ostenditur perspicuè, nõ satius esse, velle nimis æquare, & vt ita dicã, nimiũ vnã facere ciuitatẽ. Domus enim facilius sibi satis est, q̃ vnus homo, & ciuitas quàm domus. Iã vult ciuitas esse, tũ quum vsuuenit quod satis est, habere sibi multitudinis cõmunionẽ. Itaq; si magis expetendum, quod promptius quantum sat est habet: optabilius certè quod minus q̃ quod magis est vnũ.

Cap. 2. AT verò nec si istud est optimũ q̃ maxime vnam esse cõmunionẽ, demõstrari videtur ex ciuiũ sermone, si dicant omnes pariter, meũ & non meum. Hoc quidẽ signũ indicare summè atq; perfectè vnam esse ciuitatẽ, existimat Socrates. Verùm in duos sensus hoc dici potest, omnes. Si dicẽt omnes, quia singuli, fortè melius efficietur quod efficere vult Socrates. Nã singuli dicẽt vnũ & eundẽ esse filiũ suum, eãdẽ esse coniugẽ suã. De bonis & de singulis rebus quæ pluribus accõmodãtur, eodẽ modo. Qui verò cõmunibus nũc vtũtur vxoribus ac liberis, non dicent hoc modo, sed vniuersi, non singuli. Similiter bona dicẽt sua nõ singuli, sed omnes & vniuersi. Haud dubiè igitur vtitur falsa ratione Socrates quũ dicit, omnes. Ex eiusmodi verbo fallax ratiocinatio. Hoc verbi omnes, & vtraq;, & imparia, & paria, propterea quòd in duos sensus trahitur, ĩ sermonibus etiã cõtẽtiosos parit syllogismos. Ergo quũ idẽ verbũ dicit omnes,

vno

vno quidẽ modo probũ, ſed deſignãs quod fieri nõ poteſt: altero verò nihil eius propoſito cõſentaneũ. Ad hęc quod dicitur ab eo, aliud patitur incõmodũ. Etenim minimè curã diligentiãq; reperit id quod eſt cõmune plurimorũ, quoniam propriorũ mortalibus ſumma cura eſt, cõmuniũ minor q̃ rei ad vnũ aliquẽ pertinẽtis. In alienis & cõmunibus homines, ac ſi alius curet, multo ſunt negligẽtiores: haud ſecus atq; fieri ſolet in miniſteriis, vbi interdum plures miniſtri deterius miniſtrant, q̃ pauciores. Cuiq; ciuium mille ſunt filii, & hi non vt alicui vni, ſed quilibet eorum cuiq; ciuiũ ſimiliter eſt filius. Itaq; ciues omnes eodẽ modo ſtirpẽ negligent. Præterea quiſq; de ciue bene vel malè agente, quotuſcunque ſit numero, ſic dicit meus eſt, vt, meus eſt cuiuſdã vel vnius: hoc modo loquens de vnoquoq; mille ciuiũ, aut quot illa conſtat ciuitas. dicit inquã dubius, quia incertum cuinã acciderit natã eſſe ſtirpẽ, & ſaluã eſſe natam. Itáne verò melius eſt ſingulos meũ dicere, quum vnũ aliquẽ de duobus decémve millibus appellant, an dicendũ potius vt nunc in ciuitatibus meum dicũt, hic filiũ, ille vnũ & eundẽ fratrem, alius patruelẽ, aut alio nomine propinquitatis è ſanguine, aut affinitatis atq; familiaritatis primũ ipſius, deinde ſuorũ? Iã aliũ vocat φράτερα, vt eũ qui conuẽtus eſt eiuſdẽ & ſodalitatis, & vnus ex tertia parte tribus dicta phratria: aut φυλέτην, id eſt tribulẽ, & hominẽ ſuæ tribus. Melius profecto eſſe patruelẽ, q̃ iſto modo filiũ. Enimuero fieri nõ poteſt vt ſuſpicio vitetur, quin aliqui ſuſpicẽ-

tur quosdam suos esse fratres, aut liberos, aut patres, quasdam esse matres. Ex iis similitudinibus quas habent liberi cũ parentibus, necesse est esse qui vtrinq; sumãt probationes. Quod aiunt vsuuenire quidam ex iis qui terrę ambitus inquirũt, & in his describendis elaborãt, esse quibusdã superioris Libyæ viris fœminas cõmunes, attamen progeniẽ natã similitudinũ coniectura diuidi. Sunt & quędã animantiũ cęterarum fœminæ, cuiusmodi sunt equæ & iuuencę, quę patribus similes admodum partus edũt, vt equa illa Pharsali vocata Iusta. Prȩterea qui instruũt hanc cõmunionẽ, haud facilè vitabũt incõmoda, cuiusmodi sunt verbera, cædes, siue imprudẽter siue consultò inferẽtur, pugnas, cõuicia, quorũ nullũ sic admitti ĩ patres, matres, propinquos fas est, vt in alienos. Hæc autẽ sępius accidere est necesse quũ suos non agnoscũt, q̃ quum propinquos habent notos: & vbi sunt cõmissa, ab agnoscentibus celebrari possunt expiationes legitimę, ab ignorãtibus nulla. Hoc quoq; absurdũ, eum qui voluit esse cõmunes filios, coitũ solũ amantibus eripuisse, non amorẽ & alios vsus prohibuisse, quos si pater in filiũ, frater in fratrẽ exercet, omniũ indecentissimũ est, quũ vel inhonestus amor inter eos sine vllo vsu sit turpissimus. Sed & hoc absurdum, coitum abstulisse non alia de causa, quàm quòd æquo vehementior ex illo nascitur voluptas: nihil referre arbitrari, sit'ne pater, an filius, an cum fratre frater. Videtur vtilius ciuitati, communes esse vxores & liberos agricolis quàm custodibus, quoniã

in illa confusione communitatis minus erit firma amicitia, qualis videtur esse necessaria iis qui subiecti sunt imperio, vt magistratibus pareant, vt ne rebus nouis studeãt. Adde quòd ex ea lege necesse èst euenire id quod omnino contrarium est ac repugnat iis bonis, quorum bene constitutæ leges authores & effectrices esse debent, & illi propter quod sic existimat Socrates ferendã esse legem de liberûm & mulierum communitate. Existimamus enim amicitiam esse maximum bonum ciuitatibus: quæ si esset, minimè seditione laboraremus. Et vnam esse ciuitatem maximè probat Socrates, quod & videtur, & inquit ille, opus esse amicitiæ: vt scimus in sermonibus amatoriis Aristophanẽ dicere, quosdã amantes, propterea quòd vehemẽter amant, cupere coniũgi & ita cõpingi, vt qui duo sunt, coalescãt in vnũ: vbi certè necesse est aut vtrunq; aut vnũ esse corruptũ. At in ciuitate propter istã Socraticam cõmunionem necesse est amicitiã esse fluxam & infirmã, & patrẽ minimè dicere, meus est filius: & filium, pater meus. Vt enim parua res dulcis, si cõmixta fuerit aqua multa, sensũ mouere nequit in temperatura: sic euenit, vt mutuę familiaritatis quæ sequitur hæc nomina, curam non sentiant, quum in istiusmodi republica minimè necessarium sit aut patrẽ sentire curã & amorem velut filiorum, aut filiũ velut patris, aut velut fratris fratrem. Duo sunt enim quæ curã maximè iniiciũt hominibus & amorem, id quod est proprium, id quod speciatim diligitur. quorum neutrum consequi pos-

ſunt ii qui remp.ſic adminiſtrant.Enimuero illud caput legis de liberis vt naſcuntur tranſferendis, aliis quidem ex agricolis & artificibus ad cuſtodes, aliis ex cuſtodibus ad ruſticos & artifices, haud parum turbat, nec expedire promptum eſt quonã fiet iſtud modo. Nam fieri non poteſt, quin ii qui tranſferunt atque tradunt, ſciãt quos quibus tradũt. Ad hæc neceſſe eſt quę dudum dicta ſunt à nobis, in traductione iſta facilius accidere, vt verbera, amores, neces. Non enim qui traditi ſũt aliis ciuibus, cuſtodes vnde ſunt tranſlati, poſtea vocant fratres, & filios, & patres, & matres: nec rurſum qui ſunt apud cuſtodes ad alios ciues remittendi, vt flagitia propter cognationem cõmittere vereantur. De liberorũ & vxorum communitate hoc modo ſit tractata quæſtio.

Cap. 3. HIS eſt proxima de fortunis atq; facultatibus inquiſitio, quomodo ſint ab illis inſtruẽdæ, qui optimã condituri vel adminiſtraturi ſunt rempub. vtrúmne cõmunes, an non, debeãt eſſe rerũ poſſeſſiones? Hoc quidẽ (dico quod ad bonorũ facultates attinet) inueſtigare poſſis ſeorſum à legibus de liberis vxoribuſq; deſcriptis. An'ne, ſi tam liberi q̃ vxores ſeparatim, vt nunc ab omnibus, haberẽtur, tum rerũ poſſeſſiones, tum vſus eſſe cõmunes præſtat, vt fundos eſſe proprios quidem, fructus verò in commune ferri, & cõmuniter abſumi, vt apud quaſdã nationes: an contrariũ, terram & eius culturam eſſe cõmunẽ, fructus autẽ diuidi in proprios vſus: quemadmodũ nõnulli barbarorum ad vitę ſocietatẽ facere dicuntur: an & fundos

fundos & fructus esse cõmunes? Certè si alii quàm ciues colerent agrũ, alius esset modus, alia ratio cõmunicãdi facilior. Quũ verò sibi ipsi laborẽt agricolæ, bonorũ diuisio permultas excitabit indignationes, & contentiones acerbas. Nam si in vtẽdis bonis & in laboribus nequaquã sunt pares, necesse est crimina accusationésq; suboriri, & ab iis qui pauciora capiunt, plura labore perficiunt, eos argui qui pluribus fruuntur, pauciora elaborant. Conuictus & societas in omnibus rebus humanis quidem, sed in his maximè difficilis est ac molesta. Indicãt eorũ societates, qui simul peregrinantur, ex quibus ferè plurimi dissentiunt, ac de rebus vilibus & paruis inter se cõtrariè altercãtur. Nos etiam maximè cum ministris illis irati contẽdimus, quibus persæpe in vulgaribus operis & obuiis vtimur. Itaq; bonorum societas & cõmunio, & has & alias id genus habet molestias. Ea quæ nunc est ratio possidẽdi, si moribus & iussu legum bonarum excolatur, multo præstantior est atq; tranquillior. Obtinebit ex vtroq; bonum, ex vtroq; bonum dico, & illud quod percipitur ex cõmunione facultatũ, & quod habetur ex illarũ proprietate. Res quodãmodo debẽt esse cõmunes, proprię tamẽ toto genere & simpliciter. Etenim curę studiaq; diuisa nõ pariẽt hinc & inde criminationes, sed vnoquoque ciuiũ suæ rei incũbẽte, & propriũ curãte, magis accrescent: res autẽ beneficio virtutis in vsus aliorũ conferetur, vt est in prouerbio, Amicorũ omnia cõmunia. Ad hũc modũ hodie in quibusdã ciuitatibus

ſubſcriptũ probatũq; eſt propriè cõmuniterq; poſſidendi genus. nec enim eſſe non poteſt, maximè in illis quæ bene reguntur, & œconomia florent. Ex iis igitur quæ dicimus, quædam fiunt, quædã fieri poſſunt. Propriam quiſq; rem poſſidens, alia dat amicis vtenda, aliis vtitur communibus, vt Spartæ ſeruis vtuntur alter alterius, quaſi proprios eſſe diceres, necnon equis & canibus, atq; etiam viaticis ſi regionem peragrãtes egent. Perſpicuum eſt igitur, ſatius eſſe res habere proprias, vſu facere communes. Quomodo autem conſtituantur eiuſmodi, proprium eſt legiſlatoris officium videre. Vix etiã dici poteſt quãtum interſit ad voluptatẽ opinio, propriumq;. Non enim temere & ſine cauſa quiſq; ſibi ipſe charus eſt, verumenimuero id homini à natura datum. Siquis eſt diligens ſui & φίλαυτος, iure vituperatur. non eſt hoc charum eſſe ſibi, verùm amare ſe plus æquo, vt auarus improbatur non quòd amat pecuniam, ſed quòd nimis amat. Nam diuitiarũ nõnihil (vt nemo non fateatur) amant omnes. At verò beneficium gratiámque conferre, & amicis & hoſpitibus aut ſociis opitulari iucundiſſimum, quod tum fit quum propriæ ſunt facultates. Hæc quidẽ certè non eueniunt iis qui nimis in vnum redigunt ciuitatem. Et præter hæc planè tollunt actiones duarum virtutum: vnam temperantię in vxoribus, honeſtũ profectò moderationis opus, ab ea quę aliena eſt, abſtinere: alterã liberalitatis in fortunæ bonis. nec enĩ manifeſtè cognoſcetur qui ſit liberalis, nec vllam perficiet actionem

liberalem,

liberalem, propterea quòd in vsu rerũ nostrarũ liberalitatis est opus. Præ se fert igitur hilarem vultum & humanitatem istiusmodi legumlatio, quã qui audit, alacer promptúsque recipit, existimans miram quandam fore omnibus in omnes amicitiam: ac multo magis quispiam de ciuitatum præsentibus incommodis queratur, perinde atq; accidant ex eo quia nõ sunt communes opum facultates, dico lites & controuersias de pactis, cõuentis, & falsi testimonii iudicia, & adulatorias opulentorũ obseruationes: quorum nullum accidit eò quòd nõ sunt bona communia, sed quòd nequitia regnat & improbitas. Nam videmus illos qui res habent communes, & inita societate sua communicant, multo magis dissidere, q̃ qui singulatim & propriè rem tenẽt. Sed paucos ex iis qui inierunt bonorum societatem, videmus esse discordes, si comparamus cum eorum multitudine qui propriè suas habent res. Adde quòd non iustum modò narrare quot vacabunt malis, sed etiam quot bonis carebunt ii qui sua communicarunt. Videtur autem nullo modo consistere posse eiusmodi vita. Causa quæ Socratem à vero deiecit, & impulit in errorem, fuit (vt verisimile est) hypothesis & scopus ab eo perperam cõstitutus. Debet quidem esse quodammodo vna tum domus, tum ciuitas, nõ omnino tamẽ. Est enim quò si processerit, nõ erit ciuitas. Est etiã quò si fuerit perducta, ciuitas erit quidẽ, sed parũ aberit quin nõ sit, deterior facta ciuitas: veluti si quis aptum ex vocum discrimine concẽtum redige-

ret in parem ſonorum intentionem, aut ſi numerum qui ῥυθμὸς appellatur, quo voces aut corpora pulchre & aptè cum diſſimilitudine mouentur, reuocaret in vnam & eandem greſſus motusq; formam. At ciuitas quum ſit multitudo, (vt ante dictum eſt) inſtitutione diſciplinæ cõmunis & vna faciunda. Et ſi quis introducturus eſt rationem diſciplinæ, propterea quòd ſtatuit illius virtute bene moratam fore ciuitatem, abſurdũ eſt eum ſic arbitrari, non bonis moribus, ſapientia, legibus, ſed talibus inſtitutis qualia ſunt Lacedæmone de rebus poſſidẽdis, & Cretæ de ſodalitatibus quas legiſlator voluit eſſe communes, rempublicã moderari & dirigere ſe poſſe. Nec iſtud eſt ignorandũ, oportere ad ea quæ de re ciuili reperta ſunt, aduertere mentem longo tempore & annis multis, in quibus clam eſſe nõ potuit an bene habuerint ac honeſte. Nam ferè omnia ſunt inuenta quidem, ſed alia collecta non ſunt & coacta, aliis non vtuntur ii qui norũt. Quod ſi quis in ea rep. quæ inſtituitur à Socrate, perſpiciat officia atque functiones, ex iis quę diu obſeruauerit, planum maximè fiet illi, perperam conſtitui. Non enim Socrates poterit conſtituere ciuitatem, niſi diuidat ac diſtinguat officia, alia in ſodalitates, alia in tribus, alia in phratrias, quæ tribuum ſunt tertiæ partes, in certos cõuentus, & quædã ſacra, ac reip. tempora ſeparatæ. Nihil igitur accidet ea lege cautum, niſi vt agrum non exerceant cuſtodes: quod & hoc tempore Lacedæmonii facere conantur. Enimuero qui modus & quæ ratio

totius

totius reip. futura ſit iis qui res habebunt communes, neque Socrates verbis expoſuit, nec explicare promptum eſt. Etenim multitudo ciuitatis ferè ſpecie differentes continet ciues, de quibus nihil eſt ab eo definitum, an & agricolæ communes facultates, an ſingulatim proprias, deinde vxorés ne & liberos proprios, an communes habere debeant. Nam ſi omnia ſine vllo diſcrimine erunt omnium communia, quid ab illis cuſtodibus hi different agricolę? aut quid amplius accipient ii qui ſuſtinent atque tuĕtur eorum imperium? aut cur artem militaré ciuilemq; docti, ſuſtinent imperium, niſi acutè tale quiddam cō miniſcantur ac excogitent, quale Cretéſes? Illi quidem quum ſeruis cætera eadé, quæ ſibi, permiſiſſent, tantùm prohibuerũt exercitationes campi, & armorum ius negauerunt. Si verò non ſecus atque in aliis ciuitatibus & apud illos Socraticos ciues erunt officia, quis erit communitatis modus? In vna ciuitate duas eſſe ciuitates, & eas inter ſe cōtrarias, eſt neceſſe. alios enim facit cuſtodes vti propugnatores, alios agricolas & artifices, & alios ciues. Accuſationes autem & controuerſiæ, & alia quæcunque incommoda ciuitatibus eſſe dicit, erũt omnia & iis quos inſtituit: etſi cōfirmat hoc fore, vt diſciplina floréte paucis egeant legum ſanctionibus, vt quæ ad res vrbanas & forenſes, & alias conſimiles pertinent, in quo tantùm cuſtodibus diſciplinam attribuit. Quinetiã facit agricolas ſuarũ rerum dominos, qui ſtipédium penſionemq; perſoluant. at veriſimile eſt illos multo

acerbiores fore,& ſpiritu elato pleniores, quàm ſint bello capti quidam, & in ſeruitutem redacti. Ilotias Lacedęmonii,Peneſtias Theſſali, Dulias alii ſuos appellāt. Atenim ſint'ne quæ de liberis,mulieribus,fortunis inſtituit,æquè neceſſaria,an nō,nihil adhuc explicatum fuit atque definitum,nec etiam de reliquis finitimis & cohærentibus,qualis erit eiuſmodi reſp. quæ diſciplina,quæ leges. Nec tamen inueniri facile eſt,nec parui refert cuiuſmodi ſint leges ad ſeruandam cuſtodum communionem. At verò ſi mulieres faciet cōmunes, & proprias iubebit eſſe facultates: quis ita res domeſticas & familiares adminiſtrabit vt ruſticas viri? Quis eas curabit, ſi tam facultates agricolarum quàm vxores erunt communes? Abſurdum & illud,ex beſtiis,ad quas œconomia minimè pertinet,ducere ſimilitudinem,qua probet mulieres & viros iiſdem ſtudiis iiſdem exercitationibus aſſueſcere oportere. Nec tutum eſt inſtitui magiſtratus vt conſtituit Socrates. Præficit qui ſemper iidem magiſtratum gerant. Id autem ſeditionis eſt cauſa vel apud eos qui nihil obtinuerunt dignitatis,multo magis certè apud animoſos viros & bellicoſos. Semper eoſdem ab eo præficiendos eſſe perſpicuum eſt. Illud aurum diuinitus infuſum,non aliis modò, mox illis ad animorum perfectionem, ſed eiſdem ſemper eſt admixtum. Dicit enim,quū gignuntur homines, aliis continuò aurum,aliis argentum miſceri, æs & ferrū temperari iis qui artifices & agricolæ ſunt futuri. Ad hæc auferens cuſtodū fœlicitatem, dicit eſ-

ſe

ſe legiſlatoris,totam ciuitatem efficere beatam. At fieri non poteſt vt tota ſit beata, niſi aut plurimæ, aut omnes, aut aliquæ partes ſint fœlices ac beatæ. Non iiſdem accidit fœlicitas, quibus integritas illa quæ omnibus ſuis partibus conſtat. Integritas toti quidem,ſed nulli partium poteſt ineſſe. Fieri nõ poteſt vt inſit in toto & in nulla parte fœlicitas. Etenim ſi cuſtodes non ſunt beati, quinam fœlices alii? non enim artifices,nec eorum qui ſordidas operas dant, multitudo. Ergo reſpublica de qua diſſeruit Socrates,& has & alias nihilo minores habet difficultates.

SED & in legibus quæ poſtea ſcriptæ ſunt,non ita longè recedit ab iſta reipub.conſtitutione. Quãobrẽ melius eſt inueſtigare pauca de illa quæ deſcribitur inter eas republica. Nam in altero ſermone de repub. Socrates de paucis admodum rebus ſententiam tulit,de vxoribus & liberis, de communitate, quo pacto habere ſe debet in conſtitutione facultatum atque reipublicæ. Diuidit in duas partes habitatorum multitudinem. vnam facit agricolarum, alteram propugnatorum,tertiam ducit ex his,quę conſilia tractet,& primas habeat in adminiſtranda ciuitate. Cæterùm de ruſticis & artificibus, an aliquem an nullum ſuſciperẽt, vt illi, magiſtratum,& an hos quoque armorum ius habere oporteret, atque vnà bellum gerere nécne, nihil decreuit Socrates: ſed mulieres vnà bellum gerere, & eandem quam cuſtodes,capere diſciplinam debere exiſtimat. Cætera ſermonibus extra rem petitis atque verbis de cu- Cap. 4.

ſtodum diſciplina, qualis ea deberet eſſe, compleuit orationem. At eorum ſermonum qui de legibus habentur, maxima pars legibus conſtat, pauca de repub. dixit. Quúmque vult illam ciuitatibus facere communiorem, paulatim circumagit rurſum in aliam nouámque rempub. Variat quidem in mulierum & fortunarum communione, cætera eadem primæ tribuit & ſecundæ ſuæ reipublicæ. Nam diſciplinam eandem atque vitam dat iis qui ſe abſtinent & abſunt ab operis vnde vitæ neceſſitatibus occurritur. Et in vtraque rep. de ſodalitatibus eodem modo pronunciat, niſi quòd in hac dicit eſſe oportere mulierum ſodalitates, & illam cenſet numero mille hominum qui ius habeant armorũ, hanc verò quinque millium. Omnes igitur ſermones eius habent aliquid ſuperuacaneum, fallaci apparatu ſubornatum, rerum nouarum appetens, inquirendi cupidum, & quæſtionibus moleſtũ. Omnia pulchrè ſint ab eo conſtituta: forte re perficere, quod verbo ſtatuit, eſt difficile. Nam quod attinet ad eam multitudinem de qua modò dictum eſt, nec obſcurum nec ignorandũ, tam multis hominibus fore opus agro Babylonio, aut alio quodam infinito, ex quo quinq; virorum ocioſorum millia, & vnà cum illis alia mulierum atque miniſtrorum turba multiplicatior, alẽtur. Certè hypotheſin atque materiam diſſerendi pro animi arbitrio ſumere licet, attamen quod fieri non poteſt, ſubiicere non licet. In ferendis legibus vt dicitur, duo ſunt videnda legumlatori, & locus,

&

& homines. Nec male præterea quis addiderit vicinos finitimósque locos, ſi ciuitati ducenda vita ciuilis. Non enim modò opus eſt his vti bellicis armis ciuitatem, quæ vtilia ſunt ac idonea ſi continentur intra proprium ſolum, verumetiam iis quæ commode gerantur in externos locos. Quòd ſi quis non recipit eiuſmodi vitam ciuitatis neque propriam neque communem, nihilominus tamen ciues debent eſſe formidoloſi & terribiles hoſtibus, non modò venientibus in ſuos fines, ſed etiam exeuntibus. Videndum etiam qui modus & quæ debeat eſſe quantitas facultatum, ánne melius ſit apertius & clarius exprimendo rem aliter definire. Tanta, inquit, debet eſſe res, vt temperate viuatur: perinde atque ſiquis dixerit, vt bene viuatur. Iſtud in vniuerſo genere dictum, latius patet. Adde quòd licet modicè & temperatè quidem, miſerè tamen viuere. Melior eſt igitur hæc definiendi ratio, Tanta debet eſſe res, vt temperatè viuatur atque liberaliter. Si dicetur vtrunque ſeparatim, hoc luxuriam, illud miſeriam comitari videbitur. Nam habitus hi ſoli ſunt virtutes quæ verſantur in vſu bonorum, vt fortunæ bonis manſuete vel fortiter vti nõ poſſumus, temperate & liberaliter poſſumus. Hos igitur vſus eſſe fortunarũ neceſſe eſt, hoc eſt temperatos & liberales. Abſurdũ quoq; iſtud, Socratẽ qui bonorũ poſſeſſiones æquat, de ciuiũ multitudine nihil conſtituere, ſed relinquere indefinitã liberorũ procreatio-

nē,quaſi fœtus(quãtũuis multus ſit naſcentiũ numerus) per eas quæ ſteriles erunt,fœminas,ſatis æquabiliter rediturus ſit in parē multitudinē, quandoquidē iſtud hodie ciuitatibus vſuuenire videtur. Sed hoc non eadem examinatione & diligentia penſitandum eſt in illis, & his ciuitatibus. Nũc enim quoniã bona diuidũtur in quantamlibet multitudinē, nullus eget. Sed tum quũ diuiſa nõ ſunt,neceſſe eſt eos qui adiũgũtur,ſiue ſint multitudine pauciores ſiue plures, nihil habere. Potius igitur exiſtimabit aliquis eſſe definiendum prolis quàm rei modum, ne vltra numerũ certum generent ciues. Eum numerum conſtituere debet legumlator proſpiciens fortuitos euentus, ſi quos accidat ex natis obire mortem:proſpiciēs item alterius partis in gignendis liberis ſterilitatem. Hoc quum prætermittitur, vt in permultis ciuitatibus, inopiæ ciuibus eſſe cauſam neceſſe eſt. Inopia autem ſeditionem maleficiúmque gignit. Phidon igitur Corinthius legũlator antiquiſſimus,etſi primùm in ſortitione partes magnitudine impares habuiſſent omnes,putauit tamen domos pares,æqualemq́; numerum ciuium manere debere.in iſtis autem Socraticis legibus contrarium promulgatur. Sed hiſce de rebus poſtea dicēdum erit,qua ratione melius eas ſtatui poſſe iudicamus. Porrò autem iis legibus de quibus agitur,omiſſa ſunt ea quæ pertinent ad magiſtratus, quo pacto different ab iis qui priuati ferũt imperium. Dicit enim,quemadmodum ex alia fit la-

na ſtamen

na ſtamen, ex alia ſubtegmen, ſic & magiſtratus à priuatis differre oportere. Et quum diuitias omneis augeri vſque ad incrementum quincuplum permittat, quamobrem non permittetur idem in ſolo terræ ad aliquem vſque modum? Videndum etiam cuiuſmodi ſit ædium partitio, an ſit inutilis œconomię. binas enim ſingulis ædes attribuit, eáſque ſeparatim ſitas partitus eſt. Verùm graue eſt duas habitare domos, atque difficile. Cæterùm tota eius conſtitutio non eò tendit vt ſit democratia, id eſt imperium populare, neq; oligarchia, hoc eſt paucorũ principatus, ſed harum media, quam vocant rempub. Illis enim conſtat qui bellica gerunt arma. Itaque ſi remp. inſtituit eam quæ inter ciuitates aliorum maximè ſit cõmunis, probe fortaſſe dixit. Si conſtituit eam quæ ſit optima poſt illam ſuam primam, improbe. Nam Lacedæmoniorum remp. aut aliam quãdam optimorũ principatu florentiorem qui laudet magis, forte non deerit. Sunt qui dicunt optimam remp. omni rerũ publicarũ genere mixtam eſſe oportere. Iccirco laude ferunt illam Spartiatarum, quoniam nonnulli affirmant eam conſtare oligarchia, monarchia atq; democratia: & aiunt regnum eſſe monarchiam, ſenatũ oligarchiam: & quoniam ex plebe leguntur ephori, in illorum magiſtratu putant eſſe democratiam. alii vero ephororum tribunatũ dicunt eſſe dominationẽ & tyrannidem, democratiam tamen reperiri in ſodalitatibus, & alio victu cottidiano. In iis autem legibus

quas vulgauit Plato, dictum est, optimum reip. genus ex democratia & tyrannide cõstare debere, quas aut nullo modo resp. aut omniũ deterrimas statuat prudens. Quòd igitur ex pluribus cõposita resp. pręstantior est, meliorem sententiã ferunt, qui plura genera commiscent. Deinde ista Socratica resp. nihil habere monarchiæ, sed illa quæ sunt in oligarchia atque democratia, videtur, magisq; declinare contendit ad imperiũ paucorum: id quod planum fit ex magistratuũ creatione. hoc vtriusq; commune est, ex delectis creari sorte magistratus. Istud item pertinet ad imperium paucorum, esse necessario ditioribus ius habendi cõcionem, & creandi magistratus, aut aliud quicquam publicum curandi, cęteros præteriri: hoc item, moliri plures ex diuitibus publici muneris honore donari, & amplissimos magistratus ex amplissimo cẽsu legi. Inclinat etiam ad paucorum potentiam consilii curiæque delectum. In legendo senatu ex singulis classibus nonagenis viris, omnes quidem suffragium ferũt necessario, sed ex primo censu, deinde rursum totidem legũtur ex secũdo, quot antea de primo. Postea totidem ex tertio, deinceps totidẽ ex quarto, classe ve quarta, præterquam quòd necesse non est ciues ex tertia quartáve classe suffragium ferre, sed illos tãtummodo qui sunt ex primo & secundo censu. Post hæc tandem ait parem ex singulis classibus numerũ esse declarandum. Verũ quoniam tertii & quarti dare suffragium non coguntur, plures erunt ex amplissimis

Hic deprauatos esse codices græcos facilè cognosces ex sexto dialogo Platonis de legibus. restituo hoc modo, ἔπειτα πάλιν ἴσους ἐκ τοῦ δευτέρου, ἔπειτ' ἐκ τῶν τρίτων, ἔπειτ' ἐκ τοῦ τετάρτου, ἢ τῶν τετάρτων. πλὴν οὐ πᾶσιν ἐπά-

ſimis cenſibus & potentiores. Itaque non oportere optimũ reip. genus ex democratia ac monarchia conſtituere, planum fiet ex iis quæ dicentur a nobis, quũ dabitur de eiuſmodi rep. diſputandi locus. Porro in creatione magiſtratuum non caret hoc periculo, ex electis legi quoſdam. Nam ſiqui nõ ita multi numero cõiurare velint, ſemper ad eorum volũtatem creabuntur magiſtratus. Sic igitur habet illa reſp. Socratis expoſita in ſermone de legibus.

νάγκες ἦν τοῖς ἐκ τῶν τρίτων, ἢ τετάρτων, ἀλλὰ μόνοις ἐπάναγκες τοῖς πρώτοις καὶ τοῖς δευτέροις.

SVNT & aliæ quædam reſpublicæ cum indoctorũ tum ſapientium, & eorũ qui remp. adminiſtrarunt, omnéſq; propius accedũt ad eas quę cõditæ ſteterũt, & ad eas quæ adminiſtrãtur hoc tẽpore, quàm iſtæ duæ ſermone Socratis inſtitutæ. Alius nemo de liberis & vxoribus cõmunibus, de mulierũ ſodalitatibus res nouas induxit, at potius à rebus neceſſariis omnes ducũt exordium. Quibuſdã videtur eſſe maximum bonũ ciuitatis, rerum poſſeſſiones bene cõſtitutas eſſe, propterea quòd omnes (vt aiunt) de his ſeditiones & diſcordiæ mouẽtur. iccirco Phaleas Carthaginienſis hoc intulit quũ tractaret initia ſuæ reip. Dicit enim pares eſſe oportere ciuium facultates: nec iſtud factu difficile putabat ſtatim initio quum vrbes extruũtur: quũ vero cõditæ habitãtur, operoſum magis atq; difficile. attamẽ breui tẽpore ęquari poſſe hoc pacto, ſi diuites dẽt, nõ accipiãt dotes: cõtrà pauperes nõ dẽt, ſed accipiãt. Plato quũ ſcriberet leges, cẽſuit eſſe permittẽdũ res inæquabiliter augeri ad certũ vſ- Cap. 5.

que modum, quem sic, vt ante dictū est, statuit, nulli ciuiū licere rem quincuplo auctiorē minimo censu possidere. Qui condūt eiusmodi leges, ignorare non debēt, id quod nunc vidētur ignorare, numerū liberorū ab iis esse statuendū, qui certum iubēt esse fortunarū modū. Nam si liberorū numerus superet facultatū magnitudinē, necesse erit legē solui & abrogari. & vt nulla sit abrogatio, malū tamē & improbū multos ex diuitibus tenues pauperésq; fieri. Est enim difficile, spoliatos bonis per iniuriā, rebus nouis non studere. Quapropter ad seruandā ciuilem communitatem, vim habet quandā æquabilitas fortunarum. id quod veterū quidā vidētur intellexisse, vt & Solō legem tulit, & apud alios est lex, quæ vetat ne quantū velit quis, tantum possideat agri. Non alia ratione leges prohibēt ne quis sua bona diuēdat, vt apud Locros est lex de non vendundis bonis, nisi venditor ostenderit euidentem sibi accidisse calamitatem. Præterea iubet seruari relictas à maioribus hæreditates, ne quis patrimoniū dilapidet. Hoc legis apud Leucadios abrogatū, nimium popularem fecit eorū remp. quia postea non cōtingebat è censibus lege definitis in honores conscendere. Cæterùm contingit venire ciues in æqualitatē bonorum, sed hæc aut esse nimiū multa, vt deliciis corrūpantur homines: aut nimium pauca, vt parce, tenuiter sordidéque viuant. Certum est igitur haud satis à legumlatore æquatas fuisse bonorum possessiones: sed ratione mentis mediumpetendum

tendum,& mediocritatis eſt capiunda coniectura.Iā ſiquis moderatas opes conſtituerit omnibus, nihil hoc modo remp.adiuuerit. Satius eſt adhibere modū cupiditatibus,quàm fortunę bonis.Nec tēperare cupiditates eorum licet,qui non quantum ſat eſt diſciplina informantur à legibus. At forte dicat Phaleas hæc ſe dicere.Putat enim duas eſſe res iſtas in ciuitatibus æquandas, rerū poſſeſſionem,atq; diſciplinam. At qualis futura ſit ea diſciplina,dicendum erat. Vnā & eandem eſſe diſciplinā,nihil adiuuat remp.Vna & eadem eſſe poteſt,ſed ea,per quam nihil magis cupient quàm abundare plus æquo aut pecuniis,aut honore,aut pecunia ſimul & honore. Adde quòd ſeditionibus agitantur ciues non modò propter imparē facultatum, verùm etiam magiſtratuum & honorū portionem.In hoc & in illo ratio contraria.Nā vulgus eſt in diſſenſione propter inæqualitatē bonorū, nobiles vero & potentes diſcordias mouēt de honoribus ſi diſtribuuntur ex æquo.vnde inquit poeta,

Improbus atq; probus ſtudioſe incūbit honori.

Non autē ſolū propter res vitæ neceſſarias homines iniuriā afferunt,quarū putat eſſe remediū parē bonorū diſtributionē,ne quē propter frigus aut famē bonis exuāt:verūetiā iniuria lædūt,vt oblectatione atq; lætitia fruātur, nihilq; deſiderēt eorū quæ opinātur eſſe bona. Certe ſi deſiderio neceſſariorū maiore teneantur,tū vt medeantur cupiditati,ius violant.Nō igitur modo propter neceſſariorum deſiderium in-

iurii ſunt,ſed etiam ſi quibus carere poſſunt appetāt, vt ſine vlla moleſtiarum & dolorum acerbitate delectentur voluptatibus. Quod igitur horum trium remedium? Neceſſaria petentibus, modicę facultates, & ex labore quæſtus: immodica appetentibus, temperātia: quod ad tertium attinet, ſiqui per ſe & ſine aliorum conſortione delectari velint, non habent vnde medelam petant, niſi à philoſophiæ contemplatione: cæteræ voluptates hominum conſociatione indigēt. Quum ius violent maximè non propter vitæ neceſſitates, ſed quia ſequuntur immodicas rationes appetendi, vt non ideo tyranni fiunt, vt non algeant, (iccirco magni exhibentur honores non ei qui furem, ſed qui tyrannum interfecerit) certè reipublicę quam inſtituit Phaleas, ratio tantum prodeſt ad arcendas paruas læſiones & iniurias. Iam multa ſancire vult, quibus inſtitutis ciues, quātum ad ipſos attinet, pulchrè rempublicam adminiſtrare poſſint. At etiam conſtituere oportet illa quibus adminiſtrent rem ſuam aduerſum finitimos & omnes externos. Neceſſe quidem certè rempublicā ad bellicam virtutē conſtitutam eſſe, de qua ille ne verbum quidem locutus eſt. Nihil quoque dixit de opibus aduerſus externos, quas eſſe ſatis multas non ad vſus ciuiles modo, verumetiam ad externa pericula neceſſe eſt. Quocirca non debet eſſe tanta facultatum copia, nec opes illæ, quas finitimi potentioréſque cupient, earum domini infeſtos & irruētes arcere non poterunt: neque rurſum

ſum tam parua res,vt nequeant bellum hoſtium neque parium neque ſimilium ſuſtinere. Hac de re quidem nihil decreuit ille. Nec illud debet ignorare legumlator, quæ vis opum ſalubris eſt & expetẽda reipublicę. Optimus forte modus ita finietur, tãtum eſſe debere, vt propter earum luxuriam atque redundantiam potentioribus nõ expediat inferre bellum: immo ſic parui fieri, quaſi tantam non habeant rem, quantus erit belli ſumptus: vt Eubulus, quum Autophradates obſeſſurus eſſet Atarnéa, iuſſit illum cogitare quanto locum illum tempore expugnaturus eſſet, atque animo perpendere temporis eius ſumptum: accepto minore precio velle iam Atarnéa relinquere. Quibus dictis Autophradatem, vbi ſecum rem æſtimaſſet, à propoſito obſidionis auocauit. Vtile igitur eſt, pares ciuibus eſſe fortunas, ne ſeditiones moueant inter ſe. Sed (vt vera dicam) non ita hæc magna res eſt. Etenim proceres & gratioſi iſtud ægre ferant, vt non idonei qui tantum paria capeſſant, ex quo ſæpe videntur irruere, & ſeditiones mouere. Præterea res eſt inſatiabilis hominum deprauata cupiditas. principio ſatis eſſe dicũt obolos duos ſolùm, hoc eſt drachmæ tertiam partem, ſiue ſcrupulum vnum. quòd ſi iam ſit iſtud in re ipſorum, ſemper vt egentes maius appetent atque maius, quoad in infinitum progreſſi fuerint. Natura cupiditatis infinita, ad quam explendam vulgus hominum viuit. harum igitur rerum principium temperandũ potius, quàm

æquandæ bonorum possessiones, vt homines boni & æqui natura, sic instituantur a reipublicæ conditore, vt nolint habere plus æquo, improbi & iniqui non possint: quod erit, si pauciores sint, & nulla afficiantur iniuria. Sed ne de illa quidem rerum adæquatione bene pronũciauit, quoniam solùm bona soli exæquat. Sunt quoque seruorum & pecudum & numi diuitiæ, nec paucum id quod supellectilis nomine vocatur instrumentum. An igitur omnium horum æquabilitas quærenda? an alia quædam cõstitutio moderata? an quæ mobilia sunt, quæque solo continentur, omnia vt occupẽtur sine lege, permittendũ? Videtur Phaleas ex iis quas tulit legibus, exiguam instituere ciuitatem, quoniam omnes in illa artifices erũt publici, seruíque reipublicæ, nec suggerent vllam ciuitatis expletionem. At si qui publicas & communes dant operas, debent esse publici, debent & hoc habere se modo, id est, sufficere ciuitati supplementum, quemadmodum Epidamni, & vt olim Diophãtus constituit Athenis. Ex his igitur ferè cognoscas siquid Phaleas in sua republica præclarè aut perperam dixerit.

Cap. 6. HIPPODAMVS autem Milesius Euryphontis filius, qui partitionem ciuitatum, & tam rerum quàm hominum diuisionem inuenit, & Piræéa incîdit, quum esset alioqui in genere vitæ propter ambitionem redundantior, sic vt quibusdam videretur luxuriosius viuere, & capillorum promissione, & ornamento

ornamento ſumptuoſo, atque etiam veſtis ornatu frugalis quidem, ſed non hyeme ſolùm, verumetiam temporibus æſtiuis calidè, tamen is quum vellet eſſe totius naturæ ſtudioſus ac doctus, primus ex iis qui remp. non adminiſtrarũt, aggreſſus eſt aliquid de optimo reip. ſtatu dicere. Inſtituebat ciuitatẽ quæ hominum millibus decem numero conſtaret, & treis in partes diſtribueretur. vnam partem faciebat artifices, vnam aratores & agricolas, tertiam quæ arma teneret, atq; bellicis rebus operam daret: diuidebátque in treis partes locum ſoli, in ſacram, publicam, priuatã. vnde legitima ſacra diis facerent, ſacram. ex qua alerentur qui ius haberent armorum, publicam. quam ſubigerent agricolæ, priuatam. Exiſtimabat idẽ treis eſſe legum ſpecies tantùm, quia ſunt tria numero de quibus controuerſiæ mouentur, & iura dicuntur, iniuria, damnum, cædes. Lege ſtatuebat vnum iudiciũ ſummũ, & ex ſenibus electis authoritatis primæ conſiliũ, quò reuocari cauſas omneis oporteret de quibus male iudicatum videretur. Sententias in iudiciis ex calculorum iactu & illa ſuffragiorum latione pronunciari nequaquam bonum eſſe ducebat, ſed vnũquenque iudicum ferre tabellam, in qua ſi reum ſimpliciter condemnaret, ſcriberet ſentẽtiam. ſi abſolueret ſimpliciter, vacuã ac puram mitteret. ſi partim dãnaret, partim abſolueret, illud definiret, ſcriptoq; diſtingueret. Non exiſtimabat id bene eſſe, quod nũc lege ſancitũ eſt, quia lex Atheniẽſiũ cogit peierare iu-

dices, quum aut hæc aut illa pronunciare, hoc est aut damnare aut absoluere iubet. De iis qui inuenirent aliquid vtile ciuitati, legem ferebat, qua præmio donarentur. Liberis eorum qui bello mortem oppeterent, ex publico dari alimẽtum iubebat, quoniam lex eiusmodi apud alios nondum fuerat lata, quę nũc Athenis & in aliis ciuitatibus seruatur. Magistratus omneis à populo creari, (nomine populi treis partes complectebatur in quas diuiserat ciuitatem) qui lecti magistratus gererẽt, eos publica negocia, & res peregrinorum pupillorumq; curare volebat. Hæc ferè in Hippodami cõstitutione sunt amplissima, ac commemoratione dignissima. Sed in dubitationẽ vocet aliquis primùm diuisionẽ multitudinis ciuium: Artifices enim, & agricolæ, & qui ius habent armorũ, sunt omnes ciues, atq; reip. participes. Agricolæ non habẽt arma, artifices nec agrum nec arma: itaque parũ abest quin sint eorũ serui quibus est ius armorũ. Nec etiam fieri potest vt omnium participes honorũ hi duo sint ordines: quia necesse est ex propugnatoribus belli duces, & ciuium custodes, & vt summatim dicam, summos constitui magistratus. Quòd si in nullam suscipiantur publici muneris partem, quî fiet vt sint amantes studiosique reipublicæ? Et eos penes quos arma sunt, ambabus his partibus esse potentiores est necesse, non autem facile est illos præstare viribus, si multi non sunt & frequentes. Quòd si hoc erit, quid opus est cæteros in partem reip. vocari, &

habere

habere ius creandi magiſtratus? Deinde agricolæ quid erunt vtiles ciuitati? Artificibus quidem opus eſt. omnis enim ciuitas artificibus eget, & hæc pars quemadmodum fit in aliis ciuitatibus, ex artiū quæſtu vitam tolerare poteſt, atq; durare. Si bello deſtinatis alimentum ſuppeditarent agricolæ, non ſine ratione ciuitatis eſſent pars. at in hac republica proprium obtinent agrum, & illum in proprios vſus colent. Ad hæc ſi agrum communem vnde alimentum bellatores capient, arabunt & colent ipſi, non erit alius ordo bellatorum, alius agricolarum: at alium vult eſſe legiſlator. Dicet aliquis, Nec qui terram in vſus proprios ſubigunt, nec pugnatores, ſed alii quidam exercebunt agrum communem. Erit igitur hæc quarta pars ciuitatis ſic aliena à republica, vt nihil accipiat illius. Enimuero ſi quis faciet eoſdem, & qui proprium & qui communem colunt agrum: tum erit fructuum pœnuria, ex quibus ſinguli cultis agris binas alent domos. Quid ita non ſtatim ex eadem terra, & ex iiſdem agris ſorte diſtributis, & ſibi alimentum percipient, & bellatoribus exhibebunt? Sanè hæc omnia ſunt turbulenta. Nec illa de ferenda iudiciali ſententia lex eſt probanda, quæ ſegregat ac diuidit iudices, eóſque iudicare ſcripta ſimpliciter ſentētia, atque iudicem arbitrum fieri, bonum ducit. Hoc autē in arbitrio & in aliis pluribus fieri poteſt. Conferunt enim capita arbitri, colloquuntur, & inter ſe de ſententia ferenda conſultant. Non id fit in

iudiciis, ſed his contrarium multi legumlatores inſtituunt, ne iudices verba faciant inter ſe, & conferant ſententiam. Deinde quomodo non erit turbulenta atque litigioſa ſententia, ſi iudex cenſeat aliquid debere inficiatorem, verùm non tantum quantum petitor? Petitor enim putat illum vnde petit, ſibi debere viginti minas: iudex vnus adiudicat decem minas, hic plus, ille minus, alius quinque, alius quatuor: & hoc ſcilicet modo ſententias diuident: alii totum, alii nihil deberi iudicabunt. Quis erit modus numerandi diſcernendíque ſententias? Præterea nemo iudicem peierare cogit ſimpliciter abſoluentem, vel ſimpliciter damnantem, ſi modò iuſte & ſine vllo dolo malo litem intenderit accuſator aut petitor. Non qui abſoluit, iudicat illum vnde petitur, nihil debere, ſed viginti minas neutiquam debere. At ille iam peierat qui illum damnat, exiſtimans viginti minas non debere. Nec tutum eſt ſancire legem de iis qui inueniunt aliquid vtile ciuitati, qua ſit neceſſe aliquod precium & præmium dari, ſed tantũ audientibus oſtẽdit hilarem vultũ, aſpectumque iucundum, cæterùm calumnias, & ſi res ita tulerit, motus atque tumultus reipublicæ minatur. Eadem lex incidit in aliud problema, & in aliam mẽtis inquiſitionem. Sunt enim qui dubitant pernicioſum ne ſit an vtile, non immutare patrias leges, ſiqua melior alia ſit inuenta. Non igitur eſt facile ſtatim quam diximus probare legem, ſi leges patriæ moue-

re

re non conducit. Nam fieri poteſt vt aliqui tanquam bonum commune ſuadeant legum aut reipublicæ diſſolutionem. Quod autem mentionem fecimus de legum mutatione, pauca præterea de ea re diſputare præſtat. Dubia res eſt, vt diximus, & melius eſſe mutare poteſt videri. Hoc enim in aliis ſcientiis profuit, vt Medicina præter inſtituta maiorum mutata, & Gymnaſtica, & in vniuerſum omnes artes atque diſciplinæ. Quum ſit igitur vna illarum ſtatuenda ſcientia ciuilis, neceſſe eſt in hac eandem quam cæteris fuiſſe rationé, & vt illas, ſic & hanc eſſe mutatam. *Signum* proditum in iis quæ legum iuſſu fecere maiores: & antiquas leges nimis ſimplices, rudes & barbaricas eſſe diceres. Circumferebant gladios enſéſque Græci, & emebant alter ab altero vxores. Et cætera quæcunque ab antiquis alicubi ſancita ſunt legibus, rudia penitus, ſimplicia, & imperite condita ſunt: vt Cumæ de cæde lex eſt, ſi qui poſtulat aliũ cædis, multos producat teſtes è ſuis cognatis, reum, id eſt eum qui vocatus eſt in ius, cædis crimine teneri. Omnino quærunt omnes non quod patriæ, ſed quod ſibi eſſe bonum opinantur. Et probabile eſt primos homines, ſiue è terra geniti, ſiue à calamitate atque læthali peſte ſalui fuerint, ſimiles horum qui ſibi quàm patriæ bene eſſe malunt, neſcio quomodo imperitos & intelligendi rudes fuiſſe, qualem terræ progeniem dicunt. Itaque videtur abſurdum in illorum decretis permanere. Præterea ſtatus ciuitatis non eſt me-

lior ſi leges ſcriptæ manent immotæ. Nam quemadmodum aliis in artibus, ſic & in conſtitutione ciuili fieri non poteſt vt omnia ſcribantur accurate. Neceſſe eſt enim vt ſcribantur vniuerſe: actiones autem in ſingulis verſantur. Ex his igitur planum fit & aliquas & aliquando mutandas eſſe leges. Inſpicientibus alteram partem, multæ cautionis eſſe videbitur leges patrias mouere. Si mutentur, paruum quidem erit id quod maioris acceſſerit boni, contrà malum ac improbum, conſuetudinem facilitatémque inducere leges abrogandi. Haud dubie nonnulla & legumlatorum & magiſtratuum vitia atque errata ſunt ferenda. Non enim quiſquam mutatis legibus tantum proderit, quantum more introducto non obediendi magiſtratibus, nocebit. Illa ſimilitudo quæ ex artium mutatione ſumebatur, eſt captio. Simile non eſt artem mutare, atque legem, propterea quòd lex ad ſuadendum nullam habet vim niſi quam accipit à more & conſuetudine: mos non inducitur niſi temporis diuturnitate. Ex iis igitur quæ ſtabiles ſunt & imperant, legibus, in alias nouas facilè tranſire, non aliud eſt quàm legis infirmare virtutem. Ad hæc ſi nouandæ ſunt, vtrum ab omnibus, & in omni republica, an non? Vtrum à quouis, an à quibuſdam? hæc enim magnam habent differentiam, magnúmque diſcrimen. Nunc itaque miſſam faciamus hanc indagationem, alias quærit temporis opportunitates.

DE

DE rep. Lacedæmoniorũ, de Cretenſi, & ferè de administrationibus aliorũ duę ſunt quæſtiones: vna, ſit'ne quicquã bene an perperam lege ſancitũ, habita ratione optimæ conſtitutionis? Altera, Sítne aliquid diſſentaneũ & contrariè ſubiectũ, ſi ad inſtitutũ modúmque refertur eius quæ ab illis proponitur rei publicæ? Nullus eſt porro qui non fateatur eam ciuitatem quæ res ſuas bene ſit adminiſtratura, habere oportere neceſſaria tranquillè, quietè, & opportunè. At quo pacto ſit hæc ſecuritas & hoc ocium, facile non eſt animo concipere. Nam Theſſalorum peneſtia, hoc eſt captiuorum turba in ſeruitutem redacta, ſæpenumero illos adorta eſt. Non aliter & Lacedæmonios ii qui ab illis vocantur εἵλωτες. Non enim deſinunt moliri perniciem velut inſidiantes illorum rebus aduerſis. Nihildum Cretenſibus tale accidit. Id fortè cauſæ eſt, nulla ex finitimis ciuitatibus, etſi bella gerunt inter ſe, auxilium dat ſeruitiis deſciſcentibus, ac dominos relinquere cupientibus, propterea quòd illa adiuuare non eſt vtile vicinis, qui & habeant ipſi ſeruos eiuſmodi, quos περιοίκους, id eſt accolas vocant. At omnes finitimi erant Laconibus inimici, Argiui & Meſſenii & Arcades. Statim initio ſerui deſciuerunt à Theſſalis propterea quòd bellum gerebãt aduerſum finitimos Achæos, & Perrhæbos, atque Magnetes. Quòd ſi nullum aliud faceſſant negocium, tamen res operoſa curáque difficilis videtur inuenire rationem quam ſeruare debeat ciuitas ad illos tractandos, & in ſua conſue- Cap. 7.

tudine retinendos. Nam quum tractantur indulgentius, tum insolescunt, & contumeliosi ac improbi fiunt, dignósque se putant qui tam multis fruantur bonis, quàm ciues ii quorum patiuntur imperium. Quum autem vexantur & afflictantur, atque acerbe victitant, moliuntur insidias, & quibus seruiunt, illos odio persequuntur. Planum est igitur Lacedæmonios non inuenire optimum reipublicæ statum, quibus impendet hoc ab ilotia negocium. Ad hæc immodica libertas & licentia Spartanis mulieribus concessa nocet, impedimẽto est quò minus id quod proposuit, conficiat respublica, bonisq; legibus instituatur ciuitas. Vt enim vir est pars domus, & vxor, sic quoq; sine dubitatione existimandum ciuitatem propè in duas diuisam esse partes, in virorum multitudinem, & mulierum. Quamobrẽ in quibus rebus publicis ratio vitæ muliebris est male constituta, putandum est quod illic accidit, dimidium ciuitatis lege solutum viuere. Quum legislator patientem laborum durisq; rebus infractam vellet esse totam ciuitatẽ, in viris haud dubie quod cupiebat effecit, in mulieribus autem perficere non curauit. Viuunt enim proterue & delicate, & in omnem libidinem intemperantiámque soluuntur. Itaq; in eiusmodi republica necesse est in precio diuitias haberi, maxime si sub imperio muliebri sint viri, vt sunt multę nationes militię deditæ ac bellicosæ. Excipiuntur Celtæ, & siqui sunt alii qui palàm cum maribus consuetudinẽ probarunt. Certe qui primus fabulam dixit, haud temere &

re & præter rationem videtur Martem cum Venere iunxiſſe. Omnes enim Martii viri aut maſculorum aut mulierum conſuetudine facilè capiuntur. In Laconibus igitur inerat hoc malum, nec pauca à mulieribus in illorum gerebantur imperio. Etenim quid differt mulieres imperare, & eos penes quos eſt imperium, à mulieribus gubernari? Eadem ſanè ratio. Quum vero audacia non ad ea quæ plerunq; verſantur in vita & vſu domeſtico, ſit vtilis, ſed ſi prodeſt, ad bellum ſit vtilis: in ea re Laconum vxores perniciosæ maximè fuerũt. Oſtenderũt in hoſtili Thebanorũ impreſſione. Nihil enim (vt aliis in ciuitatibus) vtiles fuerũt, ſed maiorem quàm hoſtes turbam dederunt. Nec ſine ratione licentia mulierum videtur ab initio Laconibus accidiſſe. Nam tempore longo rei militaris gratia foris agebant apud externos, quũ bellum gererent aduerſus Argiuos, deinde aduerſus Arcadas & Meſſenios. A bello ocium nacti, quoniam vita militari fuerant præparati & expoſiti ad res duras perferendas, ſe legumlatori dabant, & legibus eius obtemperabant. Multas enim partes virtutis habet illa vita. Aiunt autem Lycurgum eſſe conatum mulieres ducere ad leges: at quoniam detrectabant imperium, ab incepto deſtitiſſe. Hæ ſunt igitur eorum quæ acciderunt, cauſæ. Itaque perſpicuum eſt eaſdem huiuſce criminis eſſe cauſas. Sed hoc nos, cui ſit impetranda aut non impetranda venia, non conſideramus: at de eo quod rectè aut prauè factum eſt, hic agimus. Mores au-

tem mulierum malè constituti (vt ante dictum est) non modò indecorum quiddam afferre per se rei publicæ, verùm etiam compellere ad pecuniæ cupiditatem videntur. Præter illa quæ modo exposita sunt à nobis, reprehendat aliquis ea quæ pepererunt inæqualem bonorum possessionem. Accidit enim quibusdam ciuium, vt nimium multas, aliis autem vt nimium exiguas possiderent opes. Quapropter ad paucos peruenit ager, & id quidem, quòd legibus inconsultò & malè cautum fuerat. Nam fecit Lycurgus vt emere aut vendere facultates inhonestum videretur: recteq; fecit. Donare verò & testamento relinquere bona sua, concessit iis qui vellent: etsi tam isto quàm illo modo necesse est fortunarum inæqualitatem euenire. Quum plures fœminæ apud eos parentibus orbatæ, nullo fratre superstite ex asse sint hæredes, & qui ducũt vxores, magnas dent eis dotes, ex quinque partibus totius agri duæ ferè à mulieribus possidentur. Etenim melius erat nullam, aut exiguam, aut certè mediocrem instituisse dotem. Nunc autem patri licet aut tutori dare nuptum cui velit puellam ad quam tota venit hæreditas. Is cui vult dat, etiamsi nullo hærede instituto decesserit. Ergo quum mille & quingentos equites, & eorum qui ferrent arma, tria millia alere posset regio, tandem ne mille quidẽ numero supersunt. A factis & euentu planum fuit eam cõstitutionem illis perniciosam fuisse. Vnam quidem cladem non sustinuit, sed hominũ paucitate debilitata periit ciuitas.

ciuitas. Aiunt Lacedæmonios temporibus regum priorum, ne, quia diu bella gererent, ad paucos redigerentur, donasse alios ciuitate, & aliquando Spartiatis millia decem accreuisse. Verùm siue sunt hæc vera, siue falsa, satius est pari distributione fortunarum viris impleri ciuitatem. Sed ne sic erigat se lapsabunda ciuitas, velut in subsidio pugnat lex de liberis procreandis. Legislator quum velit plurimos esse Spartiatas, impellit ciues & allicit ad gignendos liberos permultos. Apud eos est lex, eum qui treis genuerit filios, immunem esse à custodia ciuitatis: qui quatuor, illi rerum omnium dari vacationem. Atqui perspicuum est, si multi procreentur, & ager ita diuisus est vt ante diximus, esse necessarium multos ad pauperiem deuenire. Sed etiam quæ pertinent ad magistratum Ephororum, male sunt instituta. Is enim magistratus apud eos potens est rerum maximarum, & Ephori ex ordine plebeio creantur omnes. Itaque sæpenumero in hunc dignitatis locum incidunt viri pertenues atque pauperes, qui propter egestatem pecunia corrumpuntur, venalésque sunt. Frequenter antè & nunc in Andriis patefecerunt. Argento corrupti quidam, quantum in ipsis fuit, totam perdiderunt ciuitatem. Et quia nimia erat magistratus eius potestas, & tyrannidi dominationíque par, etiam reges cogebantur in eum esse quasi populares, & Ephororum gratiam venari, vt hac quoque parte respublica læderetur, quoniam quæ fuerat sub optimorum statu, in popula-

rem principatum décidit. Porro magiſtratus hic continet rempublicam. Etenim plebs acquieſcit propterea quòd magiſtratus ampliſſimi particeps eſt. hoc vtile rebus gerendis, ſiue legiſlatoris conſilio, ſiue fortunæ caſu accidit. Expetendum reipublicæ, ſi ſalua manere velit, vt partes ciuitatis id quod ſunt eſſe & manere velint. Eo ſunt animo reges Lacedæmoniorum, propter eum quem obtinent honorem: & viri honeſti & optimates, quia leguntur in Senatum (hæc enim dignitas virtutis eſt præmium) plebs autem propter tribunatum, qui vocatur Ephoreia. ex omnibus enim creātur Ephori. Hic quidem magiſtratus legi debebat ex omnibus, ſed non eo quo nunc legitur modo. Nimium puerilis eſt apud eos ratio creandi. Præterea iudicandi maximis de rebus eſt poteſtas hominibus non eximiis atque ſapientibus, ſed cuiuſlibet ſortis aut prudentiæ. Quocirca ſatius eſſet iudicare non eos qui ſuo ſenſu ſuáque ſententia, verùm qui literis ac legibus vterentur. Cæterùm viuendi ratio qua vtuntur Ephori, non eſt conſentanea propoſito ciuitatis, hoc eſt vitæ duriori quam Lacones perferre decreuerunt. Illa quidem in voluptatibus corporis licentius eſt diſſoluta, aliis in rebus ſupra modum dura atque aſpera, adeò vt tolerare non poſſint, ſed clàm ſubterfugiant legum ſeueritatem, & voluptatibus corporis fruantur. Neque ſenatorum poteſtas eſt illis bene conſtituta. Si boni eſſent & æqui, ſatíſque liberaliter inſtituti ad probitatem maſculámque virtutem, forte af-

firmare liceret eos vtiles esse reipublicæ. Quanquam dubium esset, atque ciuitati periculosum, magnis de rebus illos per totam vitam habere decernendi potestatem. Est enim vt corporis, sic & mentis senectus. Quum autem sit eorum disciplina talis, vt legislator ipse non fidat illis, vt hominibus probitatis ambiguæ, minime tutum est his moribus & artibus iudicia rerum maximarum committi. Qui communiter hunc adepti sunt magistratum, donis & muneribus corrumpi, & quibus visum est, iis multa gratificari publica videntur. Præstaret igitur eos rationem vitæ gestiq; magistratus reddere: quod neutiquam faciunt. At Ephororum magistratus volet à cæteris administratoribus reipublicæ rationem gesti honoris reposcere. Nimis amplum est hoc Ephoris munus. Neque hoc pacto dicimus acta sua probare oportere magistratus. Ad hæc quem habēt delectum senatorum, quod attinet ad sententiā ferendam, puerilis est ac perleuis. Nec probandū est ab eo peti magistratū, qui dignus illo iudicandus est. Oportet eum qui dignus est, velit nolit, imperare. Nunc autem legislator id quod in alia rep. facere videtur. Nam ciues ambitiosos quū redderet, vsus est illis in delectu senatorū. Nemo imperiū sibi petit, nisi ambitiosus, & honoris affectator, quū ex peccatis volūtariis pleraque omnia ferè ab auaritia & ambitione hominibus eueniāt. De regia potestate, meliúsne sit in ciuitatibus inesse, an non, sit alius disputādi locus. Enimuero satius est, non quidem vt hoc tempore,

ſed pro ſua quęque regum vita iudicari. Perſpicuum eſt autem ne ipſum quidem legum conditorem exiſtimare ſe perficere poſſe vt honeſti boníque ſint reges. Non ergo fidit illis perinde quaſi non ſint ſatis probi viri. quapropter illius inſtituto Lacedæmonii legatos vnà mittebant inimicos, & in ſeditione regum ſalutem ciuitatis poſitā eſſe exiſtimabant. Non etiam pulchrè ſodalitates, quæ Phiditia vocantur, à primo conditore lege ſunt inſtitutæ. Nam quemadmodum fit in Creta, potius ex publico ſodalitiū celebrari oportebat. Verùm apud Lacones quiſque partem cogitur ferre, etiamſi pauperrimi ſunt nonnulli, qui nequeunt hunc facere ſumptum. Euenit igitur contrà quàm legumlator inſtituit. Vult eſſe populare conuiuiorum ſolennium inſtitutum. Minimè verò populare eſt quod hac iniqua lege ſancitum peragitur. Nec enim facile eſt valde pauperes in numero ciuium & in communione reip. haberi. Apud eos publicum eſt hoc atque patrium præſcriptum, eum qui non poteſt hunc facere ſumptū, nullam cum ipſis habere reipublicæ communitatem Legem etiam de præfectis claſſis, qui nauarchi vocantur, quidam reprehenderūt, nec iniuria, quippe quæ ſeditionis eſt cauſa. Nam quum reges ſint belli duces, præfectura claſſis perpetua alterum ferè conſtitutum eſt regnum. Similiter arguat quis propoſitū legumlatoris, quod & Plato in legibus improbauit. Omnis enim quas tulit conſtitutio legum, ad vnam virtutis partem, ad bellicam ſcientiā fortitudinemq; refertur.

refertur. Hæc quidem ad vincēdum & imperiū obtinendum valet: itaq; salui & incolumes erant quum bellum gerebant: peribant autem rerum potiti: propterea quòd nec in ocio & in trāquillitate pacis viuere sciebāt, nec aliud negociū tractare quod hominis magis est propriū quàm militia, norant. Nec minus peccant in hac re. Putāt ea bona esse, de quibus virtute potius quàm vitio certatur, & id quidē præclare. Quod autem arbitrantur ea esse virtute præstantiora, perperam iudicāt. Nec ratio pecuniæ publicæ cogendæ Spartiatis est bene constituta. Nulla quidem est in ærario & loco publico ciuitatis. quum bella magna suscipere coguntur, ęgrè cōferunt. Nā quòd illis ager est plurimus, non exquirunt alter ab altero pro ratione census attributa, accidítque vt legumlator induxerit id quod est vtilitati publicæ & priuatæ contrarium. Ciuitatē destituit pecunia. Priuatos auaros fecit. Hucusque de republica Lacedæmoniorum sermo productus sit. Hæc enim sunt quæ præcipuè improbare possis.

AD hāc propè accedit Cretēsium respublica, cui pauca sunt quæ non deterius habent, plura minus splēdidè. Etenim Laconū resp. videtur & fertur in plurimis imitata Cretēsem. Et magna pars rerū vetustarum minus est cōposita ac expolita, q̄ recentiorum. Ferūt Lycurgum, tum quum deposita Charilai regis tutela peregrinatus est, in Creta propter cognationem prælongo tempore mansisse. Erāt enim Lyctii Lacedęmoniorū colonia. Et qui deducti fue- Cap. 8.

rant,eam constitutioné legum receperant,qua tunc vtebantur ii qui insulam tenebāt. Iccirco hodie qui Cretésibus vectigales seruiūt, legibus vtuntur quéadmodū Minos primus instituisse fertur. Insula videtur ad imperiū Græciæ nata,ac præclarè sita. Nā quum circa mare sedes habeant omnes penè Græci, toti incumbit mari Creta. Ex vna parte non longè distat à Pelopōneso,ex altera ab Asia,& quo Triopium est ac Rhodus loco. Iccirco maris imperiū tenuit Minos,& insulas alias subegit, alias ícultas incolis frequentauit. Ad extremum quum in Siciliam impetū fecisset,vitam finiuit illic ad Caminū.Habet autē cōparationē proportionémve institutio Cretésis ad Laconicā.Lacedæmoniis colunt agrū serui qui vocātur εἵλωτες, Cretensibus accolæ.περιοίκους appellāt. Et vtrisq; sunt epulæ solēnes,atq; sodalitates, quas olim vocabant Lacones non Phiditia,sed quéadmodum Cretes,Andria. quo planum fit inde venisse Laconum sodalitia. Illinc etiā duxit originem Spartanæ reipub.descriptio. Nā Ephori habēt eandem quam qui in Creta vocantur Cosmi,potestatē, nisi quòd Ephori quinq; sunt numero,Cosmi decē. Atq; senatores senatoribus pares sunt,quos appellāt consilium Cretes. Antea locus erat apud eos regiæ potestati,deinde sustulerūt illam, ducesq; belli iusserunt esse Cosmos.In comitiis & cōcionibus omnes suffragium ferre possunt, nulli tamen alia datur authoritas,quàm vt author fiat eorum quæ senatores & Cosmi decreuerint. Quæ pertinēt ad sodalitates,

Cretẽſibus meliora ſunt quàm Lacedæmoniis:propterea quòd Lacedęmone pręſcriptum ſinguli viritim conferunt:quod ni faciant,lex,vt ante diximus, vetat eos eſſe reipub participes.In Creta cõmunius viuunt.Ex omnibus fructibus quos terra gignit,atque pecudibus,itemq; ex vectigalibus publicis quæ pendũt accolæ dicti περίοικοι,pars ex pręſcripto in cõmune fertur partim ad deorum ſacra atq; onera publica ſuſtinẽda,partim ad faciendos ſodalitatũ ſumptus.Itaq; omnes & mulieres & pueri & viri alũtur è publico. Quòd autem vtilis eſt ciborum parſimonia,de illa multa ſapienter legiſlator:necnõ de vxoribus dimittẽdis,ne nimiũ multos parerent liberos, conſtituit,atq; cum maribus cõſuetudinem induxit. bene an malè induxerit,aliud erit tempus diſputandi.Sodalitates autem melius ordinatas eſſe & conſtitutas Cretẽſibus quàm Laconibus,perſpicuum eſt. Iam Coſmi q̃ Ephori deterius ordinati. Hoc enim mali eſt in illorum,quod in horum,magiſtratu,quia Coſmi (quemadmodũ Ephori)creantur nõ egregii & præſtantes viri,ſed quiuis vt occurrũt. Cæterùm quod Laconicam iuuat rempublicam, nõ reperitur in Cretenſi. Illic quoniam ex omnibus delectus habetur, plebs magiſtratus ampliſſimi particeps vult in ſuo ſtatu rempub. manere. Hic autẽ nõ ex omnibus Coſmos,ſed ex quibuſdã familiis legũt,& ſenatores ex iis qui Coſmi fuerunt: de quibus idẽ dicere licet,quod de ſenatoribus Laconum.Quòd honoris geſti rationem non reddũt, & toto vitæ ſpacio præ-

ſunt, maius eſt illorũ dignitate munus. Nec periculo vacat eos nõ ex literis atque legibus ſcriptis, ſed ex ſuo ſenſu decernere. Quòd ſi plebs quanquam nullius particeps magiſtratus, nullam tamẽ ſeditionem mouet, non eſt hoc bene conſtitutæ ciuitatis argumentum. Non enim vt Ephori, ſic corrumpũtur & munera capiunt Coſmi, quoniam habitant in inſula procul ab iis qui alioqui pecuniæ corruptela eſſent eos ſubornaturi. Quam autem adhibent huic ſceleri medelam Cretes, abſurda eſt, ac imperioſi populi, nõ habentis rationẽ publicę dignitatis. Nam ſæpe Coſmos exturbant ſeditione moti, aut ipſorũ collegæ, aut homines priuati. Et Coſmis interim licet abire magiſtratu. Hæc omnia profectò lege melius agerẽtur, quàm hominum voluntate. Nec eſt ſecurus & conſtans hic canon. Sed omniũ deterrima illa ſtatus publici perturbatio, quam potentes viri tum quum iudicium ſubire pœnaſq; dare nolunt, excitãt. Quare perſpicuum eſt, vt aliquid ſit reipub. in ſtatu Cretenſi, non eſſe tamen rempub. ſed vim potius & potentiam. Solent nonnulli potentiores plebẽ & amicos euocare, monarchiam & vnius imperiũ erigere, ſiue monarchum præficere, ſeditioſè contẽdere, pugnaſq; miſcere. Quid intereſt vtrum ſit iſtiuſmodi tumultus atq; diſcordia ciuilis, an aliquãdiu ea ciuitas nõ ſit, diſſoluto vinculo ſocietatis? Quod ſiqui volunt & poſſunt in eiuſmodi ciuitatem irrumpere, eſt obuia periculo. Sed (vt ſuprà demonſtratum eſt) munitione loci ſeruatur. Procul abegit externos:

iccirco qui Cretensibus accolæ seruiunt, non descifcunt ab illis. At qui colunt agrũ Lacedæmonis Ilotes, sæpe defecerunt. Cretes nullam habent externi principatus communionem: nuperq; externum bellum inuasit insulam, quod apertè mõstrauit q̃ parũ haberẽt illic virium leges. De ea republica hactenus.

VIDENTVR & Carthaginienses rem suam publicã regere præclarè, & multa pręstantius quàm cæteri populi administrare, in quibus sunt quæ maximè accedũt ad instituta Lacedæmoniorũ. Hæ tres enim respublicæ, Cretica, Laconica, Carthaginiẽsis, legum morumq; similitudine non ita longè distant, suntq; cæteris multo præstantiores. Multa habẽt bene descripta Pœni. Signum & argumẽtum rei bene constitutæ est, eum quem continet populũ, non discedere à præscriptione publicæ constitutionis, nec vllam, quæ magnopere memoranda sit, in illo seditionem coortam fuisse, nec vllum extitisse qui cæteros dominatione opprimeret. Habet Carthago quæ propter similitudinẽ cum rebus Lacedæmoniorum comparare possis, vt conuiuia sodalitatum cũ Phiditiis, centũ & quatuor virûm principatũ cũ Ephoris, nisi quòd præstantior est illorũ dignitas, Ephori creantur nõ optimates, sed vt sors tulit, obuii quiq;. Carthaginienses illum suum magistratum legũt ex optimis quibusq; & virtutis primæ viris. Reges etiã & Senatum conferre licet cum regibus Lacedæmoniis atq; senatoribus: & cautius sibi reges legũt Pœni, nec enim ex eadẽ familia, nec vt quiuis occurrit, Cap. 9.

legunt, ſed ſiqui genere aut ætate præſtant, ex iis lectos regno præficiunt viros. Nã in magnarũ rerum prę fectura conſtituti, ſi humiles pauperes tenuéſque ſint, non parua afferunt incommoda reipub. & iam ciuitati Lacedæmoniorũ incommodarunt. Permulta autem ex iis quæ propterea quòd modum transgrediuntur, ſunt à nobis reprehenſa, omnibus quas diximus ciuitatibus communia ſunt. Ex iis quæ ſpectare vidétur ad inſtitutum finemq; ariſtocratiæ, & ad eam quæ propriè reſpublica nominatur, alia ad ſtatum popularem potius inclinant, alia ad paucorum potentiam. Reges cum Senatu poteſtatem habent alia ad populum ferendi, alia non ferẽdi, ſi conſentiant omnes. Si diſſentiant, conſiliorum princeps eſt populus. Quæ ad populum referũt ordines primi, non ei modò exponunt, vt audiat quæ decreuerint principes ciuitatis, ſed habet decernendi poteſtatem: & quod aliis in ciuitatibus non conceditur, cõtradicere licet ei qui velit, & quæ referuntur, oppugnare. Quòd auté quinqueuiri, penes quos eſt multarum magnarumq; rerũ poteſtas, & ſeipſos, & centumuirûm ampliſſimum magiſtratũ legere & creare poſſunt, quod etiã diuturnius quàm cæteri tenẽt imperium (nam & deſignati, & honore functi adminiſtrant rempublicã) hoc declinat ad eum principatũ qui oligarchia nominatur. Quòd verò nulla mercede magiſtratum gerũt, nec ſortitione creantur, & ſiquid eſt huiuſcemodi quod ad vtilitatẽ publicam ſpectat, quodq; à magiſtratibus omnia exercẽtur iu-

dicia

dicia,non ab aliis alia, vt in Lacedęmoniorũ republi ca,iſtud eſt in ariſtocratia, & in optimorũ ſtatu collocãdum. Diſcedit autẽ ab ariſtocratia ad oligarchiã Carthaginiẽſium inſtitutũ ex quadã ſententia profectum quæ multis cõmuniter placet. Non enim ſolùm ex optimorum virtute,ſed etiam ex diuitũ cenſu legendos eſſe magiſtratus arbitrantur,quoniã putant egentẽ nequaquã bene imperare, & in trãquillitate manere poſſe. Quòd ſi legere magiſtratus ex cenſu ad oligarchiam,ex virtute ad ariſtocratiã pertinet. Hæc eſt tertia quædam ciuitatis ratio qua Pœnis eſt cõſtituta reſpublica. Hæc enim duo reſpiciũt in legẽdis magiſtratibus,ſummis præſertim,regibus atq; ducibus belli. Exiſtimandum eſt legiſlatoris errorem fuiſſe cauſam cur ab optimo ſtatu poſteriores aberrarint. Principiò maximè neceſſariũ eſt prouidere quo pacto ciuium præſtantiſſimi non in magiſtratu modò, ſed etiam in vita priuata ocio & tranquillitate frui,& agere honeſtè poſſint. Quòd ſi ſpectandæ ſunt opes, vt pacata trãquillaq; ſit reſpublica, malũ eſt ampliſſimos honores eſſe venales, regiũ & imperatoriũ. Imperatores dico belli duces. Iſta lex de cẽſu facit vt diuitiæ pluris quàm virtus æſtimentur,vtq; tota ciuitas ad ſtudiũ pecuniæ conuertatur. Siquid enim principes exiſtimant eſſe precioſum,eò ſequi aliorum ciuium opinionem neceſſe eſt. Et in qua rep. non eſt in ſummo precio virtus,in ea ſtabilis eſſe non poteſt optimorum poteſtas. Non eſt hoc præter rationem.ſi qui facto ſumptu & effuſa pecu-

nia magiſtratum ſunt adepti, ſtudere lucro & vẽdere ſolent. Abſurdum quidẽ, ſi homo qui pauper eſt, ſed bonus & æquus, lucrum facere volet, deterior alius, vbi pecuniam largitus erit, nolet. Ergo debent imperare, qui virtute præditi poſſunt optimè imperare. Melius conſuluiſſet reip. legiſlator, ſi proieciſſet eam curam quam de cenſu & opulẽtia bonorũ virorum ſuſceperat, & eorũ qui præeſſent, ocium trãquillitatemq; curaſſet. Videtur hoc quoq; malũ eſſe, vnum & eundem virum plures gerere magiſtratus, quod honore extollunt Carthaginiẽſes, & maximè laudant. Optimè certè vnus vno fungitur munere. Vt fiat iſtud, legũlatori videndum eſt, nõ iubendum eundem hominem tibiis canere, & corium incidere vel ſutoriã exercere. Itaq; vbi non eſt exigua ciuitas, hominũ ſocietati accõmodatius eſt ac populare magis, plures eſſe magiſtratuum participes. Hoc (vti diximus) communioni ciuium magis eſt accommodatum, & melius ac citius vnumquodq; conficitur munus idẽ. Hoc perſpicere licet bellicis in rebus & nauticis. In his vtriſq; per omneis ſocios (vt ita dicã) percurrit imperãdi & parẽdi viciſſitudo. At quum pauci dominantur in rep. vt diteſcãt, ab optimis tum viris tum officiis declinant, ſemperq; aliquam populi partẽ emittunt in alias ciuitates. Hoc enim modo remedium adhibent, ſtabilemq; faciunt rempublicam: quæ ſi ſtat, beneficio fortunę ſtat. Opus eſt autem ciues non temeritate fortunæ, ſed inſtituẽtis lege ſeditionibus vacare. Nunc ſiqua ingruat aduerſa fortuna, &

na,& ex iis qui imperio premuntur,multi ſeceſſionẽ faciant, nullũ eſt ex legibus quietis & concordiæ remedium. Hæc ſunt quæ de rep. Lacedæmoniorũ, de Cretenſi,de Carthaginienſi,quæ quidem non immerito claræ ſunt,mihi dicenda videbantur.

EX iis qui de republica aliquid ediderũt,quidam Cap.10. non prodierũt in publicũ, nec vllã actionum ciuiliũ attigerunt partẽ, ſed vitæ curriculũ priuati peregerunt:de quibus ferè omnibus ſiquid oratione dignũ fuit,à nobis habitus eſt ſermo. Alii tulerũt leges,atq; remp.adminiſtrarunt,hi in ſuis,illi in alienis ciuitatibus.Et ex his alii tãtùm fuerũt primi authores latoreſq; legum,alii etiã reip.conditores,vt Lycurgus & Solon.Hi quidẽ nõ modò leges,ſed etiã reſpublicas condiderũt.De illa quã Lacedæmoniis inſtituit Lycurgus,à nobis eſt diſputatũ. Sũt qui putãt Solonẽ legumlatorẽ fuiſſe præclarũ, & multorum ſtudia in ſe cõuertiſſe,oligarchiã quæ nimis intemperãs eſſet, ſuſtuliſſe,à ſeruitute populũ in libertatẽ vindicaſſe, democratiã quã in patria videmus, ſtatuiſſe,ac præclarè multis partibus remp.tẽperaſſe. Ad ſtatũ paucorum ſpectat Areopagitarũ cõſilium, ad optimorũ poteſtatẽ magiſtratuum delectus,ad imperiũ populare iudicia.Credibile eſt Solonem ea quæ antè fuiſſent, Areopagi conſiliũ,& magiſtratuũ delectũ,non abrogaſſe:quum ex omnibus iudices legi voluiſſet, populo dediſſe poteſtatem: quamobrem nõ deſunt qui hominẽ accuſant,quòd alterum debilitauerit ac diſſoluerit,Areopagi cõſilium,quum omnẽ ad iudi-

ciũ quod ſortitione legitur, traduxerit authoritatẽ. Hoc enim poſteaq̃ inualuit, ii qui populi non ſecus atq; tyranni gratiã venabãtur, rẽp. in eã quæ nũc eſt democratiã redegerũt. Areopagi cõſilium Ephialtes inhibuit ac Pericles, mercedemq́; iudicibus cõſtituit Pericles. Et hoc modo vnuſquiſq; eorũ qui populares fuerũt, & vulgus ad res nouas ſolicitarũt, promouit & auxit imperiũ populi ad eã quę dominatur hodie democratiã. Videtur iſtud nõ Solonis cõſilio & volũtate, ſed caſu euẽtuq́; & acceſſione quadã accidiſſe. Bello ſuſcepto cõtra Medos, populus, quia fuerat author potentiæ naualis, animos attollere & magnificè de ſe ſentire cœpit. Quũq; viri boni & æqui aliter atq; libido populi cuperet, rẽpublicã adminiſtrarẽt, ductores ĩprobos atq; ſeditioſos accepit. quapropter Solõ videtur eã quã maximè neceſſariã exiſtimauit, populo tradidiſſe poteſtatẽ, vt magiſtratus crearet, rationẽq́; honoris geſti repoſceret. Nã ſi populus nõ eſſet eius rei cõpos, inimicus & hoſtis eſſet. Magiſtratus omneis ex nobilibus & opulẽtis, ex prima claſſe cuius erat cẽſus quingentûm medimnûm, ex viris ſecũdæ claſſis qui ζευγίται nominãtur, & ex tertio cẽſu q̧ vocatur equeſter ordo, conſtituit. Erat & quartus cẽſus vel quarta claſſis ex iis q̧ ſeruiles operas mercede locant: quibus nullũ magiſtratus adipiſcẽdi ius erat. Fuerũt alii q̧ ſcripſere leges, Zaleucus Locris iis qui ad Zephyrũ & ad plagã occidẽtẽ vergunt, & Charondas Cataneus ſuis ciuibus, & aliis ciuitatibus Chalcidicis circa Italiã Siciliáq; poſitis. Nõnulli

nulli etiã cõducere, hoc eſt in aliorũ numerũ referre cõtẽdũt Onomacritũ, vt q primꝰ fuerit legũ ferẽdarũ peritus, authorq́; grauis: & aiũt illũ qui natione Locrus eſſet, & artis vaticinãdi peritus populos adiret, verſatũ eſſe in Creta atq; exercitatũ, & Thalẽ illius ſociũ, Thalis auditorẽ Lycurgũ & Zaleucũ, Zaleuci Charõdã fuiſſe. Sed qui iſta dicũt, nõ habita ratione tẽporis dicunt. Scripſit & leges Thebanis Philolaus Corinthius ex genere Bacchiadûm. Is Dioclis qui vicerat Olympia, amore captus, poſteaq̃ Diocles ciuitatẽ reliquit exoſus amorẽ matris Alciones, cum illo profectus eſt Thebas, & illic vterque diſceſſit è vita. Et hodie monſtrant illorũ ſepulcra, quorũ alterum ab altero facilè videri poteſt. at vnũ ſpectabile regioni Corinthiorũ, alterũ nõ eſt in illius cõſpectu. Aiũt in fabulis, eos iuſſiſſe ſepulcra ſua ita deſcribi, Dioclem, propter odiũ quo affectus erat, ne à ſuo tumulo terra Corinthia videri poſſet: Philolaũ cõtrà, vt à ſuo poſſet. Hãc igitur ob cauſam habitarunt in vrbe Thebanorũ, quibus leges deſcripſit Philolaus, tũ de aliis rebus, tũ de liberis procreandis: quas leges quia ferri ſãciri ſeruariq́; debẽt, θετικὰς vocãt. Hoc ab eo propriè lege ſancitũ, vt hęreditatũ bonorũq́; ſorte attributorũ numerus ſeruetur. Charõdæ nihil eſt propriũ, niſi falſorũ teſtium pœnæ iudicio irrogandæ. De his enim primus habuit quęſtionẽ. Cæterùm ſubtilitate & accurata cõſtitutione legũ penetrat altius, q̃ qui temporibus noſtris ferunt leges. Philolai propria eſt facultatũ inæquabilis varietas. Platonis,

vxorum & liberûm ac fortunarũ cõmune ius, & cõmunis vſus, & mulierum ſodalitates. Præterea lex eſt eius de ſobrietate, qua ſobrii præeſſe cõuiuiis iubentur: & alia de militari exercitatione, vult iuuenes vſu longo tantũ ſiniſtra quantũ dextra manu valere, quia non debet homo vna manu eſſe vtilis, altera inutilis. Sũt quoq; leges Dracontis, ſed eas tulit iã ſtãte republica. In illis proprium nihil eſt memoria dignum, niſi in magnitudine pœnarũ acerbitas & aſperitas nimiũ ſeuera. Fuit & Pittacus legũ nõ reip. cõditor. Huius eſt propria lex, quæ iubet ebrios, ſi percuſſerint, maiorẽ luere pœnã, q̃ ſobrios. Quòd enim plures improbi ſunt & flagitiũ cõmittunt ebrii q̃ ſobrii, noluit intueri veniam quæ dãda potius eſt vino ſepultis, ſed cõmodũ & vtilitatẽ ſocietatis humanę. Fuit & Androdamas Rheginus q leges ſcripſit Chalcidenſibus iis qui ſedes habent in Thracia, cuius eſt lex de cæde, & de puellis quibus opima venerit hęreditas. Verũenimuero nihil eius propriũ referre licet. Hoc modo reſpublicas & pręcipuas & quorũdã ſermone deſcriptas tractauimus, atq; contẽplati ſumus.

ARISTOTELIS POLITICON

Liber tertius.

Cap, 1.



VAE ſit & qualis vnaquæq; reſp. intuenti, ſtatim initio de ciuitate inquirendũ videtur, atq; cognoſcendum quidnã ciuitas ſit. Nunc enim trahunt in dubitationẽ, quum dicũt alii

alii quod actũ est id egisse ciuitatem, alii non ciuitatẽ, sed paucorum authoritatẽ, vel tyrannum. Videmus autem omnẽ viri ciuilis atq; legũlatoris occupationem incũbere ciuitati. Et respublica est ordo & cõstitutio quædã eorũ qui habitant in ciuitate. Quum verò sit cõposita res ciuitas, quemadmodũ & aliud totum quidẽ, sed multis partibus cõstãs, videre facile est antequam de ciuitate disseratur, de ciue quęstionem esse tractãdam. Nam ciuitas est ciuiũ multitudo. Vidẽdum igitur quem debeamus appellare ciuem, quidq; sit ciuis, quoniã de ciue sæpe quæstio est, nec omnes eundem ciuem esse consentiunt. Reperias qui in democratia ciuis habeatur, ĩ oligarchia sæpe nullo sit in ciuium numero. Et ita prętereundi sunt, qui alio quodam modo hanc appellationem, vt ciues non nati sed facti, adipiscuntur. Nec ideo ciuis est quisquam, quòd habitat in ciuitate. Etenim peregrinis & profugis qui in aliena ciuitate viuunt, & seruis est habitandi communitas. Non etiam qui sic vtuntur eodẽ iure vt iudicium subeant, & litigẽt, ciues habendi. Hoc enim conceditur & iis qui posteaquam symbola, id est tesseras quæ publicè dãtur externis hominibus, vt in ciuitatẽ amicè recipiãtur, acceperunt, iudiciorum sunt participes. His enim iura redduntur. Multis igitur locis qui in aliena ciuitate degunt, non si ipsa iura habent communia, perfectè tamen recipiũtur in numerũ cõmunionemq; ciuiũ. Dicendi tamen quodãmodo ciues, quemadmodum pueros, qui per ætatẽ nondũ sunt nomina professi,

nec in tabulas ciuiũ relati,& ſenes publicis negociis liberos atq; expeditos & ocioſos vocamus ciues, nõ oppidò ſimpliciter,ſed addẽtes aliquid,illos dicimus ciues immaturos & imperfectos, hos ætate cõfectos, & viribus exhauſtos, aut aliquid aliud coniũgimus. Non enim refert,quia perſpicuum eſt quod dicitur. Nam quærimus eum qui ſimpliciter eſt ciuis, nec habet eiuſmodi vitiũ quod obiici poſſit,& emendatione egeat ac correctione, quoniam & de ignominioſis & exulibus dubitatio oriri poteſt,ſint'ne ciues,& hic nodus ſolui,ſimpliciter non eſſe ciues. Verus ciuis haud alia re aptius definiri poteſt, q̃ cõmunione iudicãdi, gerendiq; magiſtratus. Magiſtratuũ quidã tẽpore eripiuntur,& ſic abrogãtur,vt bis illos gerere non omnino liceat eidem:aut ſi liceat,non tamen lege definitis tẽporum interuallis. Eſt aliud genus magiſtratus,cui nullũ tempus eſt præſcriptum atq; definitũ:vt quo fungitur iudex & cõcionator. Forſitan dicet aliquis, non ſi in ea ſint dignitate, iccirco participes eſſe magiſtratus:quãquam ridiculũ erit ſi quis inficietur eos qui ſummam habent in ciuitate poteſtatẽ,vllum gerere magiſtratũ. At quod obiicitur,ad rem nihil pertineat,quandoquidẽ de nomine diſputatio eſt.Non habet nomẽ publica illa poteſtas in iudice & cõcionatore, quo liceat hunc & illũ nominare.'appelletur quidẽ nõ definitus magiſtratus. In ciuibus certè ponimus eos qui ſuſcipiũt hãc reip. partem. Ciuis igitur, cui vni ex omnibus qui vocantur ciues, hoc maximè cõgruit nomen. is eſt quem

dixímus.

diximus. Sed ignorãdum non est, eorum quibus res subiectæ specie differũt, & alia prima est, alia secunda, alia proxima: aut nihil omnino, aut vix quicquã, quia sunt eiusmodi, esse cõmune. Res autẽ publicas differre specie videmus, & alias posteriores, alias priores esse. Eas enim quæ peccarunt, & deteriores factę sunt, atq; à statu meliore degenerauerũt, rationi cõsentaneum est & æquũ, iis esse posteriores, quę statũ in deterius nõ mutarũt. Planũ faciemus postea quale sit quod dicimus, esse respublicas quæ ĩ peius exierunt, degenerarũtq;. Quũ sint igitur multa rerum publicarũ genera, in vnoquoq; aliũ esse specie ciuem est necesse. Is ergo qui definitus est à nobis, in democratia potissimũ ciuis est: in aliis generibus esse quidem potest, sed nihil est necesse. Nã quibusdã ciuitatibus nõ est populus in tribus ad ferẽda suffragia distributus, nec habent legitimã cõcionẽ, sed vtuntur cõuocata & indicta repẽtè, quum res noua postulauit: nec vniuersi, sed singuli magistratus lites & cõtrouersias dirimũt, vt Lacedæmone de pactis & cõuẽtis alias alius Ephororũ dirimit causas, de cæde senatores, & alias fortasse alius magistratus. Eodẽ modo Carthagine iura dicũtur. Omnes enim cõtrouersias certi quidã magistratus dirimunt. Sed emẽdationem patitur & correctionẽ superior illa ciuis definitio, vt eiusmodi sit in Atheniẽsium republica, in aliis tamen nõ indefinitus est magistratus cõcionator & iudex, sed ex eo quem gerit honore publico definitus. Horũ vel omnibus vel quibusdã datur potestas

consulendi & iudicandi aut de rebus omnibus, aut de aliqua parte rerũ. Quis igitur ciuis sit, hæc apertè demonstrant. Qui est ea potestate, vt communione iuris præfici consiliis aut iudiciis possit, illum iam ciuitatis eius in qua ius habet, dicimus esse ciuem. Ciuitas autem est eiusmodi ciuium numerus, vt absolutè dicam, ad suppeditandas res omneis quas natura desiderat, satis multus. Sunt qui referũt animum ad vsum & consuetudinem, ciuémq; definiunt eum, qui ex duobus ciuibus est ortus, non ex altero tantùm, vt patre vel matre. Alii repetunt altius, vt duos aut treis aut plureis auo priores. Hoc modo quum definiuntur ciues, non arte philosophiæ, sed ciuitatum more & breuiter, sunt qui vocant in quæstionẽ tertium illum aut quartũ, id est auum & proauum, dubitantes quo pacto ciues erunt. Gorgias Leontinus partim fortasse dubitans, partim ironia dissimulantiáque ludens inquit, haud aliter Larissæos esse qui effecti sunt quasi ab artificibus & architectis hominum Larissæorum, quàm mortaria esse quæ facta sunt ab artificibus mortariorum: esse quosdam homines efficientes Larissæorum. sed illud definitionis genus simpliciter id est imperitè traditum est. Nam si participes essent reipublicæ, quẽadmodum expositum est nostra definitione, ciues essent primi conditores: vt verò isti definiunt, non sunt. Etenim fieri non potest, vt hoc quod statuũt in definitione, ex ciue patre aut ex ciue matre, primis habitatoribus primísve conditoribus conueniat. At illa fortè

potior

potior eſt quæſtio de iis qui ciuibus aſſcripti ſunt ſtatu reip.mutato,vt quos Athenis poſt exactos tyrannos Cliſthenes aſſcripſit.multos enim redegit in tribus peregrinos & ſeruos,qui in aliena ciuitate viuebāt,& pecuniam pro cōmunicandi iure penſitabāt, μέτοικοι vocantur. Sed quæ de his agitatur quæſtio, non eò pertinet,vt quinā ciuis ſit, quæratur, ſed iuſte an iniuſte quis factus eſt ciuis. Sed & præterea ambigi poteſt, an ſi iniuſte ciuitatem adeptus eſt, nō ſit omnino ciuis,perinde quaſi idem efficiat & ciuis iniuria factus,& adulterinus. At quoniam videmus magiſtratum gerere quoſdā vitio creatos,quos quidem fatebimur imperare, ſed iniuſte, & ciuis quodā magiſtratu definitus eſt(ciuis eſt enim, vt diximus, cui magiſtratus, qualiſcunque particeps eſt) non eſt dubium quin & iſtos ciues eſſe fateri debeamus. Quod autem de iuſto & iniuſto imperio quæritur, contingit illam quam diximus antea quæſtionem. Sunt enim qui in dubium veniunt & quærūt quando ciuitas aliquid egit,quādo non ciuitas? Vt quum ex oligarchia aut tyrānide facta eſt democratia, tum quidam neque pacta diſſoluere & ſtare conuentis, quia non ciuitas ſed tyrannus obligari & teneri voluerit,neque alia eiuſmodi rata eſſe volunt,quaſi res publicæ quædam non vtilitate publica,ſed vi potentiorum & dominatione conſtent.Siqui igitur in democratia viuunt,quæ in eiuſmodi rep.populus iuſſit,haud ſecus dicuntur acta ciuitatis illius, ac ea quæ à tyrannide & oligarchia firmantur.

Cap. 2. AD hunc locum videtur accommodata disputatio quæstionis huius, quónam modo eãdem ciuitatem aut non eandem sed aliam esse dicendum sit? Huiusce quidem rei dubiæ manifesta planè inuestigatio in loco & hominibus est. Contingit enim, vt locus & homines distrahantur, & vt hi alium, alium illi teneant locum. Hæc igitur quæstio in illis est collocanda, quæ tranquillius explicantur. Nam quia ciuitas dicitur multis modis, illius nodi facilis est explicatio. Et item quærendum, si in vno homines habitãt loco, quando statuendũ sit non plures esse, sed vnã tantùm ciuitatem? Non enim mœnibus definiendũ, quia murum vnum Peloponneso circundare licet. Eiusmodi forsitan est Babylon, & quæcunque potius habet circunscriptionem gentis quàm ciuitatis. Babylone capta ferunt non sensisse tertio die ciuiũ partem. Sed siquid habet dubitationis hæc res, aliàs commodè videbimus. Non debet ignorare is cui ciuitatis incumbit cura, quanta magnitudo ciuitatis esse debeat, quantusq; numerus, & vtrum vtile sit & expediat vnam esse multitudinẽ, an plures. Quumq; iidem in eodem loco sedes habent, an dum genus habitantium manebit idem, quanquam semper alii intereunt, alii gignuntur, eadem tamen ciuitas erit dicenda? vt fluuios & fontes eosdẽ esse dicere solemus, etsi cõtinuè alia succedit aqua, alia antecedit: an propter hanc causam homines iidem, & alia ciuitas dicenda? Certe si communio quædã est ciuitas, est autẽ ciuium communio, quũ alia sit respublica, quæ specie

cie

cie differt à superiore, necesse est non eandem manere ciuitatem videri, vt chorum nunc comicum, nūc tragicum dicimus alium esse, quū sæpenumero sint homines iidem. Similiter omnem cōgregationem & coniunctionem, si alia sit componendi species, aliam dicimus: vt alium concentum quum dorius erit, aliū quum phrygius, etiamsi maneant eædem voces, esse dicemus. Quod si ita est, quum dicimus eandem esse ciuitatem, haud dubie speciem reip. maxime respicere debemus. Nomen autem aliud aut idem vsurpare licet & quum iidem sunt habitatores, & quum alii omnino successerūt. An vero si in aliud reip. genus mutetur ciuitas, iustum sit dissoluere quod debetur nécne, alius erit sermo, alia disputatio.

EST iis quæ modò explicauimus, proxima consideratio, sit'ne statuenda virtus eadem boni viri & probati ciuis, an nō? Atqui si bonum est hanc tractari quæstionem, primùm videndum summatim, quæ ciuis debeat esse virtus. Vt nautæ cum sociis est cōmunitas, sic & ciui cum ciuibus dicimus esse communitatem. Nautarum (etsi non sunt falcutate similes, alius enim remex, alius gubernator, alius proræ moderator, alius aliud huiusmodi ab officio proprio nomen habet) sine cōtrouersia cuiusque ratio pro portione diligentissime obseruata, propriam ostendet illius virtutem. Et vt quędam singulis propria, sic etiā communis omnibus quadrat. Nam salus nauigii cōmune est omnium munus. Id enim quisque nautarū sibi appetit. Non aliter & ciuium, tametsi dissimiles Cap. 3.

ſunt,officium commune & virtus cõmunis eſt conſeruatio ſocietatis, Societas eſt reſpublica. Ciuis igitur virtus ad rẽp.ſpectat. Quòd ſi multa ſunt rerũ publicarum genera,certum eſt fieri nõ poſſe vt probati ciuis & veri ſit vna virtus eximia atq; perfecta. Perſpicuum eſt igitur fieri poſſe vt ciuis probatus non habeat eam virtutem ex qua vir bonus appellatur. Quinetiam aliter eandem licet dubitantes inire rationẽ ſumpto ex optima rep.exemplo. Si fieri non poteſt vt in optima ciuitate omnes pariter ſint frugi & probati,& ſinguli pro ſe diligenter ſuum munus obire debent (id enim ex officio eſt atque virtute) ſi ciues omnes ſimiles eſſe non poſſunt, haud erit vna virtus ciuis & viri boni. Etenim virtus ciuis probati omnibus ineſſe debet, quia aliter optima ciuitas eſſe non poteſt: virtus boni viri nequit omnibus ineſſe, niſi in honeſta bonáque ciuitate neceſſe eſt ciues omneis bonos eſſe. Iam quum ciuitas ex diſſimilibus conſtet, vt animal ſtatim initio ex anima & corpore,anima ex ratione & appetitu , domus ex viro & vxore, res familiaris ex domino & ſeruo , & eodem modo ciuitas ex his omnibus,ac pręterea ex aliis diſſimilibus conſtituta ſit formis: neceſſe eſt non vnam eſſe omnium ciuiũ virtutem,vt nec eorum qui chorum ſolennem ducunt,præſultoris, & aſſultoris qui præſultori ſecundus eſt. Ex his igitur planũ fecimus non eandem ſimpliciter eſſe probati ciuis & viri boni virtutem. Erítne cuiuſdã probati ciuis & viri boni virtus eadem? Dicimus ſane virum qui laudate & honeſte

honeste præest, bonum esse atque prudentem. Necesse est quidem eum qui remp. capessit, esse prudentẽ. Et nonnulli inquiunt principis aliam continuò esse disciplinam: vt regum filios qui scientiam docentur equestrem atque ciuilem, aliter atque cęteros erudiri videmus. Et Euripides inquit,

Ne mihi venusta, at quorum ciuitas eget.

quasi sit aliqua habentis imperium disciplina. Quòd si boni principis & viri boni virtus est eadem, & ciuis est etiam cui quis præest, non eadem erit omnino ciuis & viri boni, sed vnius cuiusdam è numero ciuium. Et eam ob rem forsitan Iason dixit, se, si non regnet, regnãdi famẽ pati, quia nesciat priuatus esse. Atvero laudabile est imperare & parêre posse: & probati ciuis est bene imperare & parêre posse. Si igitur virtutẽ boni viri statuimus principẽ & primariã, virtutẽ ciuis & principẽ & morigerã, non ambę similiter erunt laudandæ. Quod igitur interdũ & is qui imperat, & is qui paret, vtraq; quidẽ, sed nõ eadẽ vterq;, & quæ sunt imperii, & quæ obediẽtiæ, discere debere videtur, ciuis autẽ vtraq; scire, & cõmuniter habere: ex eo quod dicemus, cognoscere licet. Potestas imperãtis est domina, qua quidẽ non est opus eũ qui pręest, ea cognoscendo facere quæ necessaria dicũtur, sed illis potius vti. Alterũ quidẽ seruile: alterũ dico, operas administras nauare posse. Plura autem seruorum genera esse dicimus, quoniam plures sunt operæ seruiles, quarum vni parti incumbunt ii qui dicũtur à græcis χέρνητες. hi sunt, vt & nomen ostẽdit,

qui ſibi manibus victum quæritant, in quibus eſt artifex omnis ſordidus, vt qui camino & igni ſuũ molitur opus. quapropter apud quoſdã iſti ſordidi artifices olim, antè etiam quàm in extremam tribũ redacti eſſent, in nullam admittebantur magiſtratuum communionem. Quæ pertinent igitur ad illorũ officium qui ab alio reguntur, non ita diſcere debet vir bonus, neque is qui reip. incumbit, neque ciuis bonus, niſi id ipſe ſuæ vtilitatis gratia aliquando faxit. Iam nõ euenit in ciuili magiſtratu, vt alius ſit dominus, alius ſeruus, ſed eſt imperium quoddam inter ſimiles genere & homines liberos. hoc eſſe imperiũ ciuile dicimus: quod eum qui præeſt, tum didiciſſe oportet, quum ab alio regeretur: vt artem ducendi turmas equitum, quum meruit ſub hipparcho. ſcientiam ſtratagematum, quum arte militari ductus eſt, quum centum viris, quum vigintiquinque præfuit. Hoc ergo præclare dicitur, Neminem bene imperare poſſe, qui non antè paruerit. Sed imperãtis & obtemperãtis eſt alia virtus: & ciuis bonus ſcire & poſſe debet non imperare modò, verumetiam parêre. Hæc enim ciuis eſt virtus, habere notum quo liberi gubernantur imperium, ſiue imperandum eſt, ſiue parendum. Eſt etiam viri boni vtrunque noſſe, etſi ſpecies eſt alia temperantię, atq; iuſtitiæ imperatricis. Nam perſpicuum eſt non vnam eſſe virtutem viri boni liberi quidem, ſed alterius imperio ſubiecti, vt iuſtitiã, ſed ſpecies habet, quibus viciſſim vtetur quũ imperabit, & quum parebit: vt alia viri, alia mulieris temperantia,

temperantia,atque fortitudo. Videretur enim vir timidus,si sic fortis esset,vt mulier fortis. Et mulier aliter atq; par est ornata videretur, si quod vir bonus, indueret ornamentum. Nam & œconomia alia viri, alia vxoris. illius enim rem quærere, huius quæsitam seruare,munus est. Sola prudētia imperātis est propria,cæteræ virtutes necessariò communes sunt magistratuum atq; priuatorum. Virtus eius qui regitur ab alio,non est prudentia,sed vera opinio atq; sentētia. Est hic velut tibiarum architectus : qui vero imperat,est vt tibicen,qui tibiis vtitur. An sit eadē virtus boni viri quæ ciuis probati,an alia,& quomodo eadem,quomodo alia, ex his planum fecimus. Præterea de ciue nonnulla dubitatio relinquitur,re quidem vera, vtrum ciuis ille,cui ius est cōmune gerendi magistratus? an etiam sordidos artifices in ciuibus collocare debemus? Certè si in ciuium numero statuuntur ii qui magistratuum sunt expertes, fieri nō potest vt talis sit omnium ciuium facultas , qualem antea diximus. Hic enim ciuis est,cui ius adipiscendi magistratus. Quòd si nullus eorum ciuis,in qua parte ciuitatis vnusquisq; statuēdus? non enim externus est,vt qui pensione pecuniæ viuit in aliena ciuitate, nec hospes. An affirmabimus nihil absurdum ex hac ratione afferri? Etenī illorū quos ciues esse diximus, serui atque liberti nulla ciuitatis est pars. Verum est non omneis faciendos esse ciues, sine quibus ciuitas esse non possit. Nam neque pueri sunt eodem modo ciues quo viri: sed hi simpliciter, illi non simplici-

ter,ſed ex hypotheſi,&(vt ita dicã)ex deſtinato. Ciues enim ſunt, ſed immaturi & imperfecti. Fuerunt ciuitates priſcis temporibus,vbi ſordidi artifices erãt ſerui aut peregrini: quare & eiuſmodi ſunt hodie multi. Optima quidem ciuitas non habebit eum ciuem,qui exercet ſordidas artes. Quod ſi & hic ciuis, & virtus ciuis eſt ea quam diximus,dicemus illã virtutem non eſſe in omni ciue,nec in capite tantum libero,ſed in hominibus liberis, qui officiis neceſſariis atque ſeruilibus noluerunt implicari. Qui huiuſcemodi res neceſſarias vni miniſtrant,ſerui: qui reip, opifices illiberales & mercenarii. Quid hiſce de rebus iudicandum ſit,ex eo quod iam dicemus,manifeſtum erit iis qui animum paulùm aduerterint. Iſtud enim poſitum ſub oculos, id quod à nobis dictũ eſt, perſpicuum reddit. Nam quum multæ ſint rerum publicarum formæ, multas quoque ciuium ſpecies eſſe neceſſe eſt,eorum maximè qui priuati magiſtratibus obediũt.Itaque in aliqua rep. illiberalis artifex & mercenarius ciues erunt: in quibuſdam eſſe non poterunt, vt ſi vſquam eſt qui vocatur optimorum ſtatus,ariſtocratiã Græcia appellat,in qua pro virtute & dignitate dantur honores atq; magiſtratus. Nõ enim fieri poteſt vt qui viuit arte illiberali atque vili, quíque operas mercenarias locat, floreat inſtitutione exercitationeq; virtutum. Et vbi pauci dominantur,quia magnis ex cenſibus participant honores,operarius ciuis eſſe nõ poteſt, ſordidus artifex poteſt, propterea quòd artificum pleriq; diteſcũt. Lex erat

Thebis,

Thebis,qui annis decem negociari nõ destitisset, ne magistratus adipisceretur. In multis autem publicis rebus ex peregrinis aliquos ad augendũ ciuium numerũ trahit lex. Sunt etiã ciuitates quædã populari imperio obediẽtes, ĩ q̃bus natus ex ciue matre ciuis est. Eodẽ modo tractãtur à multis nothi, & scribuntur inter ciues. Atqui per inopiã legitimorũ ciuiũ faciunt eiusmodi ciues. Nam propter hominũ paucitatẽ his legibus vtuntur. Quum illis abundat multitudo,paulatim auferũt è ciuium numero primũ ex seruo ancillàve natos, deinde ex mulieribus quibus est ius ciuitatis,editos: & tandẽ eos solũ ciues statuũt quorũ parẽs vterq; ciuis erat. Ex his aperte colligitur ciuiũ multas esse formas, ciuẽq; maxime dici,qui est particeps honorũ,vt & Homerus cecinit. Sed vbi ius istud veri ciuis occultum est atq; abditũ,fit vt qui simul habitant,defraudẽtur, nec pluris sint q̃ profugus & extorris,qui in omnibus ciuitatis honoribus præteritur. Est enim velut profugus in aliena ciuitate, is qui nõ est particeps honorum. An igitur alia, an eadẽ statuenda sit virtus,qua bonus est vir,& qua ciuis probatus, perspicuũ est ex iis quæ diximus. Est ciuitas in qua ciuis idem,qui bonus vir. Est etiam in qua alius. Et ille idem non omnis, sed qui remp.administrat,& dominus aut solus aut cum aliis rei cõmunis curam gerit.

HAEC quum sint explicata,vidẽdum quod sequitur,Ponendá ne sit vna resp.an plures. Et si plures,quæ,& quot, & earum differentiæ quæ sint? Est Cap. 4.

autem respublica constitutio & ordo ciuitatis, & cũ aliorũ magistratuũ, tum omniũ maximi descriptio. Quod summã habet authoritatẽ, vbiq; ciuitatẽ administrat, & administratio res est publica: verbi gratia in ciuitatibus democraticis dominus est populus, cõtrà in oligarchicis pauci. In his quidem aliud atq; diuersum reip. genus dicimus, in aliis hanc eandẽ rationẽ esse dicemus. Subiiciẽdũ vti fundamentũ, principio cuius rei gratia ciuitas sit cõstituta, quotq; sint in homine & societate vitæ imperiorum genera. dicta quidẽ sunt hæc primis sermonibus, in quibus de œconomia, de herili imperio explicata sententia est, & vt homo sit animal ad cõmunitatẽ ciuitatis aptũ: ideoq; qui nõ egent alter alterius ope, nihilominus cupiunt vitæ societatẽ. Verũtamen & cõmunis vtilitas cogit ciuitates & cõgregat, pro ea parte vtilitatis quæ ad vnũquẽque attinet ad cõmode viuẽdum. Hic igitur est potissimũ finis & cõmuniter omnibus, & priuatim singulis. Coeũt & alio nomine, vitæ melioris ergô, quia in singulis pro portione inest aliqua honesti particula, qua ciuilẽ continent societatẽ. Quod si nõ aliud q̃ retinere vitã cupiũt, cõgregãtur, nisi in asperis rebus & acerbis plus satis tempus vitæ modũ superet. Manifestum est q̃ multas acerbitates patiẽter ferunt hominũ multi viuere cupientes, quasi in vita sit aliqua suauitas atq; delectatio, & dulcedo naturalis. At vero quos dicimus imperandi modos, diuidere facile est. Nam in disputationibus externis & populariter agitatis, de illis frequẽter disputamus. Do-

mini

mini poteſtas, etſi re vera & ei qui natura ſeruus,& qui natura dominus eſt, idem expedit, nihilominus tamen dominatum in rem vtilitatemq; domini conuertit:ſeruo cõducit interiectu alterius cauſæ. Nam ſi interit ſeruus,ſaluum eſſe non poteſt herile imperium. Quod autem paterfamilias gerit imperiũ in liberos & vxorem, totamq; familiam,(id œconomicũ vocamus) aut accommodatur eorũ vtilitati quibus imperatur,aut imperãtis & obtemperantiũ cõmuni bono:per ſe quidem eorum quibus imperatur,vt & alias artes ceu medicã & gymnaſticã in vſus eorum qui curantur,exerceri videmus.Sed & alia cauſa interueniente cedunt in vtilitatẽ eorũ qui pręficiũtur curãdis corporibus & exercendis. Nihil enim vetat pædotribã,id eſt eum qui iuuenũ corpora & pulchra & valida reddit,interdũ vnũ eſſe eorũ qui exercẽtur in campo,quẽadmodũ ſemper vnus eſt nautarũ gubernator.Et ita magiſter campi aut gubernator proſpicit eorũ bono quibus præeſt. Quũ vero vnus illorum ſit ipſe,interuenit cauſa vnde fit particeps ſecuritatis,hic quidẽ nauta,ille pædotriba vnus ex iis qui exercitatione gymnaſii corpora cõfirmant. Ideoq; ſi ex æquabilitate & ſimilitudine ciuiũ cõſtituta ſit ciuitas, viciſſim gerere magiſtratus oportere exiſtimãt. Prius quidẽ,quomodo natura cõparatũ eſt,volunt ciuẽ magiſtratu functũ viciſſim miniſtrare,ſuóque rurſum bono proſpicere, quẽadmodum antea quũ imperaret,alterius vtilitati cõſulebat. Nunc autem qui à natura recedunt,propter emolumẽta quę

percipiuntur ex bonis communibus,& ex magistratu,continuare semperq; prorogare imperium suum volũt, quasi cõtingat magistratus tum quum morbo laborant,semper esse bona valetudine. Etenim si ita contingeret,honores petere fortasse & persequi possent. Perspicuum est ergo quæcunq; respublicæ inuigilant & prospiciunt vtilitati cõmuni, eas esse vera simpliciq; iustitia rectas:quæcũq; verò solũ vtilitatẽ principũ,vti sagittarii scopum,petunt,illas prauas atq; vitiosas esse,& ab iis quæ rectæ steterunt,degenerauisse:vt seruus hero, sic principibus seruiunt. Ciuitas autem est liberorum societas.

Cap. 5. POSTEAQVAM sunt hæc explicata, proxima disputatio est quot numero & quæ sint respublicæ. Et primùm inspiciendæ quæ rectæ, propterea quòd his expositis prauæ egressiones & degenerationes erunt perspicuæ. Quoniã resp.& administratio ciuitatis eadem res est, & administratio summum tenet in ciuitatibus principatum, necesse est vnũ esse penes quẽ summũ sit imperiũ, aut paucos,aut multos. Quòd si vnus aut pauci aut multi ad vtilitatẽ publicã dirigũt imperiũ, illas necesse est rectas esse respublicas. Quæ vero deflectũtur in vtilitatẽ propriã aut vnius, aut paucorũ, aut multitudinis, degenerationes sunt atq; deprauationes. Aut enim dicendũ,qui suscipiũt honores,non esse ciues: aut si id dici nõ potest, oportet vtilitatis esse cõmunicationẽ. Monarchiã quæ respicit vtilitatem publicam,cõsueuimus appellare regiã potestatẽ, imperiũ

paucorum

paucorum quidem, ſed vno pluriũ: ariſtocratiã, aut quòd optimi tenent principatũ, aut quòd qui præſunt, id quod optimũ eſt procurãt ciuitati, & in eius cõmunione viuẽtibus. Quũ vero multitudo in rem omniũ ciuitatẽ regit, tum nomine quo res omnes publicæ cõmuniter vocãtur, reſpublica nominatur. Id nõ ſine ratione euenit. Vnũ enim aut paucos excellere virtute cõtingit, plures autẽ accurate & exquiſite inſtructos eſſe omni virtute difficile, ſed maxime cõpoſiti ſunt & apti ad bellicã virtutẽ, quia vis illa multitudine cõſiſtit. Iccirco in illa rep. primas habet belli gerendi facultas, & in ea ciues ſunt ii quibus eſt ius armorũ. Degenerãt eæ quas diximus, regia poteſtas in tyrannidẽ, ariſtocratia in oligarchiã, reſp. in democratiã. Nã tyrãnis eſt monarchia quæ ſpectat vtilitatem vnius imperãtis, oligarchia diuitum, democratia pauperũ cõmodis operã dat. Nulla iſtarum ad bonũ commune contendit. Operæpreciũ eſt autem paulo pluribus explicare quæ ſit iſtarum vnaquæq;, propterea quòd eſt in ſingulis aliquid dubium & controuerſum. Qui via & arte de ſingulis rebus philoſophatur, nec animum ſolùm ad actionem adiungit, ex officio proprio debet in vnaquaq; re illuſtrare veritatem, nihil deſpicere, nihil prætermittere. Eſt igitur, vti diximus, tyrannis, monarchia dominatrix ſocietatis ciuium: oligarchia, quum domini ſunt reip. quibus diuitiarum ſuppetunt facultates: democratia contrà, quum tenues & egentes, non qui habẽt fortunarum copiam, præſunt. Primum venit in dubita-

tionem cõtrouersiamq; definitio. Nam si plures sint diuites locupletesq; penes quos sit summa rerum, & democratia est quum regit multitudo, & item rursum sicubi accidat egentes & pauperes locupletibus esse pauciores quidé, sed potétiores, dominosq; reip. & aiũt oligarchiã esse vbi parua multitudo imperat: respublicæ nõ recte vidétur esse definitæ. At vero siquis adiũcta diuitiis paucitate, paupertati multitudine, sic appellet respublicas, oligarchiam quidé in qua habét imperiũ diuites numero pauci, democratiam vero in qua tenues numero multi, oritur alia dubitatio: Si nulla est alia resp. præter eas quæ nominatæ sunt, quas dicemus esse respublicas de quibus paulo antea mentioné fecimus, & in qua plures diuites, & in qua pauciores sunt pauperes, vtriq; tamé imperii compotes? Certe videtur ratio planum facere, hoc, paucos aut multos esse dominos, paucos in oligarchia, multos ĩ democratia, nõ esse propriũ huius aut illius reip. sed accidere, propterea quòd vbiq; diuites sunt pauci, pauperes multi. Ideoq; nõ accidit, vt dictę causæ sint differétiæ. Paupertas atq; diuitiæ sunt differentiæ quibus democratia & oligarchia distinguũtur. Necesse est vbi tenét principatũ diuitiarũ beneficio siue pauciores siue plures, eã remp. esse oligarchiam: vbi pauperes, democratiam. Sed accidit, vti diximus, illos esse paucos, hos vero multos. Pauci quidem certe diuitiis abundant, omnes tamé & diuites & pauperes communi fruuntur libertate. Quibus causis adducti de republica vtrique contendunt.

QVIBVS terminis & finibus oligarchiam democratiamq; contineri dicant, quodq; sit ius oligarchicum & democraticum, in primis animaduertendum. Omnes aliquid iuris attingunt, sed non eò procedunt, vt perfectũ ius consequãtur. Et aiunt id esse ius, quod nõ omne proprie dicitur, vt par videtur esse ius, & est profecto, nõ omnibus, sed paribus: & impar, est enim, non omnibus quidem, sed imparibus. Sunt qui auferunt istud, nec explicãt quibus sit par aut impar: & praue iudicant. In promptu causa est, de ipsis iudicium fertur. Et fere maxima pars hominum de se suisq; rebus improbe iudicat. Quũ igitur ius par aut impar in duos plurésve cadat, & diuisum sit pari comparatione in æquabilitatem vel inæqualitatem rerum, & eorum quibus redditur, vt ante dictum est in libris de moribus & officiis, in æqualitate rei quæ distribuitur inter eos, conuenit: in æquabilitate eorũ quibus distribuitur, nõ cõuenit, & maxime propter eam quam paulo ante diximus causam, quòd homines de se perperam iudicãt. Deinde quòd vtriq; existimant dicere se ius simpliciter & absolute, quoniam aliquid iuris sibi vsurpare possunt: hi quidem si qua in re vt pecunia & copia bonorum sint impares, omni ex parte opinantur se impares esse. illi si qua in re sunt pares, vt pari libertate præditi, omnino se pares autumãt. Id autẽ quod maxime proprium est ciuitatis, & summe valet, non loquuntur. Nam si diuitiarum gratia societatem iniuissent, & in vnum conuenissent: quantum rei haberẽt, Cap. 6.

tantum perciperent è fructu ciuitatis. Et ita ratio potentium qui beneficio censꝰ imperant, vires habere videretur. Non enim æquum videretur, coactis minis centũ, tantum percipere debere vel primæ summæ, vel accessionis, eum qui minam intulisset, quantum qui omnem reliquam pecuniam dedisset. Quid si non modò viuẽdi, sed potius bene viuendi gratia coierunt in ciuitatem? Nam si viuendi solùm, seruorum & animãtium mutorum ciuitas esset. Nulla est autem, quia serui & bestiæ sunt expertes fœlicitatis, & eius vitæ quæ pro voluntate & consilio ducitur. Neque ciuitates coaluerunt auxilii bellici causa, ne à quoquam afficiantur iniuria: neque propter cõmercia & vtilitatem quam alius ab alio percipit. etenim Tyrrheni & Carthaginiẽses, omnésque populi qui sibi mutuò symbola, id est notas aut tesseras quibus acceptis ius habent peregrinandi negociandiq́; tutò, dederunt, vt ciues vnius ciuitatis essent. Sunt illis pacta conuenta & fœdera de rebus importãdis, & symbola de arcenda iniuria, & tabulæ incisæ de auxiliaribus copiis: sed neque in his constituti sunt communes magistratus, sed apud vtrosque diuersi. nec alteri quales alteros esse oporteat, laborant: neque dant operam vt nullus eorum quibus fœdere est deuincta fides, sit improbus & iniquus: neque student vt nullum flagitium committat fœderatus: sed solum cautum esse volunt, ne vltro citroq; iniuriæ afferantur. At de virtute vitioq; ciuium cogitant ii quibus curę sunt bonæ leges. quare perspicuum est ei quæ non
verbo

verbo ſed revera vocatur ciuitas, virtutis habẽdam eſſe curam. Nam ciuium ſocietas & cõmunio ad alia tuẽda mutuam fert opem, & loco tantùm differt ab auxiliis quæ aliunde aduocantur. Et lex eſt conuentum, & vt Lycophron ſophiſta dixit, quaſi ſponſor inter ciues iuris vnicuiq; obtinendi. Sed non poteſt bonos iuſtóſque facere ciues. Hoc ita eſſe nemo nõ videt. Siquis enim contraheret in vnũ locos, vt vrbi Megarenſium continẽs eſſet vrbs Corinthiorum, & vtriuſq; mœnia ſe contingerent, nõ eſſet tamen vna ciuitas, nõ, etiamſi connubia iunxiſſent, quanquam ciuitatibus iſtud eſt inter proprias cõmunitates. Sed etiam ſiqui diſiunctas haberent vrbes, ſed non tanto interuallo, vt res ſuas communicare nõ poſſent, eſſentq; leges ipſis ne ſe in dandis accipiendiſq; rebus iniuria læderent, vt alius eſſet faber, alius agricola, alius ſutor, alius alia arte inſtructus, & hominũ millia numero decẽ non aliud haberent cõmune, quàm pacta cõuẽta, auxilia belli, & id genus alia, ne ſic quidem ciuitas eſſet. Quapropter? cauſa non eſt ſeparatio locorũ. Nam ſi in vnum cogerentur, & hoc modo cõmunitas eſſet, ſinguli ſua domo priuata quaſi vrbe vterentur, & icto fœdere de auxilio dãdo, ſibi tantùm in eos à quibus violarentur, ferrẽt opem, ne ſic quidem acutè inſpicientibus ciuitas eſſe videretur, ſi modò non aliter coacti quàm ſeparati ſocietatem inirent & conſuetudinem. Itaq; videre facile eſt ciuitatem non eſſe loci cõmunicationem, nec eò coactam vt iniuriæ prohiberẽtur, & vltro citroq; ſine

periculo darent & acciperent. Hæc tamen si futura ciuitas est, opus est inesse. Neq; verò si insint omnia, iam ciuitas erit, at tum maximè, quum bene viuẽdi gratia domus & familiæ coaluerint, vt nihil desit quo minus expleatur vita, sed quantũ sat est habeãt ciues. Verùm non istud erit, nisi vnum eũdemq; teneant locum, cõnubiaq; iungãt: quapropter in ciuilem cõmunionẽ contractæ sunt affinitates, & phratriæ, hoc est concilia quædam & conuẽticula in tribuum partibus, itemq; sacrificia, & instituta atq; solatia quibus cõmunis vita continetur. Illud est opus amicitiæ. Voluntas enim aptãdi vitam societati, amicitia est. Ergo bene viuere, finis est ciuitatis. Quæ diximus, ad eum finem spectãt. Estq; ciuitas cõmunio familiarum atq; vicorum, quæ vitę necessaria expleuit, & quãtum sat est, habet. Hoc est vt diximus, bene & beatè viuere. Certè bene agẽdi, non vna viuẽdi gratia statuenda ciuilis cõmunitas. Quamobrem qui permultum boni conferunt in eiusmodi cõmunionem, illis maior pars ciuitatis, quàm qui libertate & genere pares maiorésve sunt, sed impares virtute ciuili, aut iis qui diuitiis superãt, inferiores sunt virtute, debetur. Quæ diximus, planum faciunt, omnes quibus est de rebus publicis cõtrouersia, partem aliquam iuris vsurpare.

Cap.7. DVBIVM est cui primæ partes ciuitatis deferri debeant, an multitudini, an diuitibus, an æquis bonisq;, an vni omniũ præstantissimo, an tyranno. Hæc quidem omnia videntur habere difficile & arduum quiddam.

quiddam. Quid si pauperes propterea quòd plures sunt,& multitudine valent,diuidãt sibi fortunas & bona locupletum? Non istud iniquum? Id certè quidem iure fieri plebi imperãti visum. Quam igitur, si hæc nõ est,iniuriam dicere debemus extremã? Rursum si ex omni numero coacto,qui multitudine plures sunt,diuidãt sibi res pauciorum,haud dubie perdant ciuitatem. At verò virtus id in quo est,minimè corrumpit:nec id quod iuris est, affert exitium ciuitati. Itaq; perspicuum,eam legẽ iustam esse nõ posse. Præterea sic omnia acta tyrãni necesse est esse iusta. Nam quia potentior est, non aliter quàm diuitibus multitudo vim affert. An verò pauciores ditioresq; ius imperare? Si igitur & ea quæ multitudo, facerẽt illi,& diriperent,atque bona multitudinis auferrent, istúdne iustum? an à vi superiore diuersum? Mala certè quidem,& iniusta esse hæc omnia manifestum. At viros bonos & æquos imperare,& rerum dominos esse,ius est. Necesse igitur reliquos omneis, qui magistratibus ciuitatis nunquam donantur, honore & luce reip. carere. honores enim dicimus esse magistratus. quos si iidem semper gerunt, alios omneis in honoribus dandis præteriri semper, erit necesse. At melius vnum optimum probatissimúmq; virũ principatum tenere. Sed istuc etiam in angustius contrahit imperium, propterea quòd plures honoribus carent. Forsitan dicat aliquis principatum omnino homini deberi: non autem legi: quæ si mala est,laborat iis perturbationibus quæ in animum cadũt. Nam si

lex in oligarchiam aut democratiam propẽsior eſt, quid differet ab iis quæ in controuerſiã adduximus? Quæ ſuprà demõſtrata ſunt incommoda, hinc ſimiliter accident. De aliis autem ſit alia diſputatio. Multitudinẽ potius quàm optimos quidem ſed paucos imperare oportere, poſſe defendi, & habere aliquã veri ſimilitudinem, & fortaſſe veritatem putes. Multos enim, quorum quiſq; non eſt bonus & probatus vir, contingit, vbi conuenerint, eſſe meliores paucis optimis, nõ vt ſingulos quidem, ſed vt vniuerſos: vt magis abundant cœnæ datis ſymbolis contributę, q̃ quæ vnius ſumptu apparatæ fuerũt. Ex multis enim ſinguli videntur habere particulam virtutis & prudentiæ: & vbi coierũt in vnum, multitudo eſt perinde atq; vnus homo, cui multi ſunt pedes, multæ manus, multiq; ſenſus. Nec aliter de moribus & ſententia iudicãdum. Quocirca de re muſica ac poëtica rectius multi, quàm vnus aut pauci iudicium ferunt. Ab aliis aliæ, ab omnibus omnes particulæ cernuntur. Sed ſic differunt præſtantes & boni viri à ſingulis imperitæ multitudinis, vt aiunt à deformibus pulchra, & à veris arte picta differre. In vnũ ſunt coacta, quæ diſiuncta ſeparatim præſtiterunt. Alioqui ſeparatis aliquid eſt pulchrius atque formoſius, q̃ rei pictæ, vt oculus huius, illius alia pars. An verò in omni populo & in omni multitudine poſſit hoc diſcrimẽ inueniri inter multos numero, & paucos virtute præſtantes, nõ liquet. Aequè verò manifeſtũ in quibuſdam inueniri nullo modo poſſe. Eadem certè ratio

tio bestiis accõmodari potest. Etenim, vt id verbum ponam, quid differunt à bestiis homines quidã? Sed est multitudo de qua nihil vetat id verè dici quod antè de particulis virtutis & prudẽtiæ diximus. His igitur rationibus expedire licet eam quam diximus dubitationẽ, & illi finitimã ac cohærẽtem, quænam sint cõmittẽda potestati hominum liberorũ, & multitudini ciuiũ qui sunt ea conditione, vt neq; diuitiis abundẽt, neq; vllam virtutis habeant dignitatẽ. Nec enim tutũ est, illis amplissimos magistratus vicissim distribui, propterea quòd per iniustitiã insipiẽtiámque partim iura violarẽt, partim laberentur in errorem. Timẽdi tamen si nullo publico munere donãtur, si in nullam vocentur reip. partem. Nam si multi sine honore sine re sint in ciuitate, necesse est illã hostibus esse plenam. Superest igitur vt consilii iudiciíque sint participes. Quamobrem & Solon & alii quidam legumlatores iubent vt ad comitia, & ad repetendas à magistratibus honoris gesti rationes vocentur. Gerere magistratus singulares, id est quibus vnus præest, vetant. Omnes enim coacti & cõgregati quantum sat est de rebus sentire possunt: quumq; melioribus miscẽtur, ciuitatibus prosunt, vt alimẽtum impurum puro mixtum vtilius est totũ quàm paucum quantitate. Imperfecti verò iudicii est vnusquisq; illorum separatim. Hæc igitur ipsa reip. cõstitutio non sine dubitatione & cõtrouersia est. Prima quidem, Est hominis eius ferre iudicium de eo qui recta medendi ratione vsus est, cuius & mederi, &

ægrotantis ſanare morbum præſentem. Et is eſt medicus. Non aliter iſtud eſt in aliis peritorum obſeruationibus artibúſq;. Vt igitur medicus medicis rationem debet reddere, ſic & alii viris qui ſimili ſunt peritia vel arte. Medicus eſt autem & qui medendo manus adhibet, & qui ſubminiſtrãtibus præcipit, & in illis tertius arte medica exercitatus. Sũt in omnibus, vt verè dicam, artibus eiuſmodi quidam vſu ma giſtro eruditi. Nóſq; iudicium non minus tribuimus exercitatis, q̃ doctis, atq; rem via & arte cognoſcẽtibus. Deinde in habendo delectu eadẽ ratio videtur. Nam deligere rectè munus eſt eorũ qui planè idoneos cognoſcunt: vt qui ſcientiam dimenſionum tenent, geometram: qui res nauticas & artem gubernandi, gubernatorem. Quòd ſi nonnulli ex imperita multitudine in quibuſdã rebus artibúſq; tractandis aliquas habẽt partes, non tamẽ iuſtius quàm qui earum rerum ſcientiã norunt. Hoc igitur argumẽto non eſt danda multitudini neq; comitiorum neq; rationum repoſcendarum poteſtas. Sed fortè nõ hæc omnia verè dicuntur, ſi (vt dudum vſurpata ratio monſtrat) non ſit multitudo nimium ſeruilis & imperita. Erit vnuſquiſq; deterior iudex, q̃ qui ſciẽtiam rerum tenẽt. At ſi vniuerſi conuenerint, aut meliores aut non deteriores erunt iudices. Adde quòd de quibuſdam rebus non is ſolùm qui fecit, optimè iudicat omniũ qui eas cognoſcunt, etiam ſi arte carẽt, vt de domo ferre ſententiam non eius eſt modò qui fecit illam, ſed etiam is qui vtitur, melius iudicat: vti-

tur

tur autem œconomus. Et temonem melius cognoſcit gubernator quàm faber,& dapes conuiua, non item coquus. Qui ſic iudicet,ſatis forſitan hãc dubitationẽ expedire videatur. Sed eſt alia quæ cohæret illi. Abſurdum ſanè videtur iſtud,maiorum rerũ poteſtatem eſſe penes imperitos & improbos,q̃ bonos & æquos. Maxima quidem res eſt,ab iis qui imperarunt,rationes vitæ poſcere,& magiſtratuum habere delectum,quæ nõnullis in vrbibus(id quod à nobis dictũ eſt)populo tribuunt. Iſtorum omniũ concio domina eſt,etſi parui cẽſus & cuiuſuis ætatis homines comitiorum & concionis ſunt participes, & conſilia tractant,& controuerſiis dirimẽdis præſunt. At quæſturam gerunt,& militũ copias ducunt,atq; ampliſſimos adipiſcuntur magiſtratus,ii quibus magnus eſt cenſus. Sed hũc non ſecus atq; ſuperiorem ſcrupulũ eximere licet. Nec iſta forſitan à via diſcedunt. Nec enim iudex,nec conſiliarius, nec concionator, ſed iudicium & cõſilium atq; populus magiſtratu fungitur. Quos verò diximus ſingulos, ii ſunt horum conuẽtuum particula. Particulam dico conſiliarium,& iudicem,& eum cui ferendi ſuffragii poteſtas eſt. Multitudo igitur iure maiora adminiſtrat. Ex multis populus & conſiliũ iudiciumq; cõſtat,& horum omnium maior eſt cenſus,quàm eorum qui aut ſinguli præſunt,aut pauci magnos gerũt magiſtratus. Hęc ergo explicentur & decidãtur hoc modo. Quam verò primo loco diximus quæſtionẽ,planum facit non aliud quicquam tantum quãtum bo-

na leges dominari oportere, magistratum autẽ siue vnius est hominis, siue multorum, in iis habere potestatẽ, de quibus exquisitè & accuratè leges agere nõ possunt, propterea quòd facile non est omnia generatim & vniuersè explicare. Cuiusmodi verò debeant esse bonæ leges, nondũ perspicuum, sed etiamnum manet id de quo ante dubitatum est. Verùm enimuero necesse vt quemadmodum respublicę, sic & leges aut malæ sint aut bonæ, iustæ vel iniustæ. Id etiam manifestum est, oportere ad rempublicam leges accommodari. Atqui si ita est, nõ est dubiũ quin necessario sint iustæ in rebus publicis rectis, in deprauatis autem prauæ & iniustæ.

Cap. 8. QVVM in omnibus scientiis & artibus bonũ sit extremum, certè in omniũ principe longè maximũ est: princeps autẽ, ciuilis facultas, in qua ciuile bonũ ius est: & ius id, quod vtile cõmunitati. Omnes autẽ existimãt æquabile quiddã ius esse: & aliqua ex parte rationibus philosophiæ consentiunt, quibus explicatũ est ius ciuitatis in libris de ratione morũ. Ostendunt enim quid & quibus sit ius, & vt paribus par tribui debeat. Qui verò pares & impares, tenendum, propterea quòd istud habet dubitationẽ, ciuilemq; sapientiã. Dicat forsitan aliquis, propter cuiuscunq; boni præstantiam, etiamsi reliquis in rebus omnibus nullum sit discrimẽ, nec sint inter se dissimiles, tamẽ oportere esse inæquabilem magistratuum distributionem. differẽtibus enim aliud diuersumq; ius esse, pro cuiusq; eorum quibus reddẽdum est, dignitate.

Atqui

Atqui si istud verũ est, iis qui colore & magnitudine, & quouis alio bono vincent, melior erit cõditio, pársq; maior earũ rerũ quæ distribuẽtur in ciuitate. An hoc vitium falsi non abditum est, sed apparet in summo? Perspicuum enim in aliis sciẽtiis & facultatibus. Nam si tibicines arte similes sunt, nobilioribus genere dãda non est amplior tibiarũ cõditio. Nihilo doctius inflabũt tibias: sed ei qui munere canẽdi cæteris præstat, maior est instrumentorũ exhibẽdus honos. Si quod dicitur à nobis, nondũ perspicuũ est, id postea longius progredientibus dilucidũ erit. Siquis excelleret arte tibiarũ, multoq; inferior esset nobilitate vel pulchritudine, etsi vtrũq; bonũ, nobilitatem dico & pulchritudinẽ, maius est q̃ ars tibiarum, & id ex proportione & cõparatione multo magis tibicinum artem, q̃ tibicen ille canendi præstãtia reliquos superat, tamẽ illi dãdæ quæ excellũt tibiæ. Nã quod plus est diuitiarũ nobilitatisq;, eò pertinere debet, vt ratio canendi sit perfectior. at neutra res eò pertinet. Deĩde hac ratione omne bonũ cũ omni bono esset conferendũ. Etenĩ siqua magnitudo vt corporis excelleret, omnino magnitudo cũ diuitiis atq; libertate quadã æmulatione certaret. Et ita si plus haberet hic virtutis, minus ille, & maior esset huius virtute illius magnitudo, cõferẽda essent omnia. Si enim tãta magnitudo quanta est in vno, superat tantum virtutis quantũ in altero est, perspicuum est eundẽ modum magnitudinis & virtutis æquabilẽ esse. Quũ autem istud esse non possit, manifestũ est in rebus ciuilibus

non propter omnem inęquabilitatem de magistratibus ciues merito contendere. Nam si alii tardi sunt, alii celeres, nõ iccirco par est vt hi plus, illi minus accipiant ciuilium bonorum: sed in gymnicis certaminibus illorum contẽtio preciũ aufert. At ex quibus constat ciuitas, in iis cõtrouersiã oboriri necesse est. Est igitur cur nobiles & liberi & diuites de honore contendant. Ciues enim liberos esse, & ex censu in ærarium pecuniam ferre oportet. Non enim si pauperes tenuésque sint omnes aut serui, constet ciuitas. Atqui si his opus est, non est dubium quin & iustitia atque bellica virtute sit opus, propterea quòd fieri non potest, vt illa si desint, habitetur retineaturq; ciuitas. veruntamen sine prioribus ciuitas esse, sine his pulchre frequentari non potest. Vt sit igitur ciuitas, aut hæc omnia, aut aliqua non iniuria de bono maiore contendunt. Vt autem bene viuatur, disciplina virtúsque, quemadmodũ prius est dictum, optimo iure de ampliore præmio certare possit. Quòd igitur nec ex omnibus æquabilẽ capere partem debent ii qui tantùm in vna aliqua re sunt pares, nec inæquabilem qui in vno sunt impares, necesse est eas res publicas in quibus inest hoc mali, à recta via deflectere. Sed & anteà diximus ciues omneis iure quodãmodo de cõmodis quæ ex ciuitate percipiuntur, contẽdere, absoluto iure & simplici nõ omneis. Diuites quidẽ se dignos honore arbitrãtur, quoniã illis est plus loci. Locus autẽ cõmune quiddam. præterea in pactis conuentis sæpius plus illorũ

fidei

fidei cōmittitur. Quæstionē afferunt etiam liberi & nobiles, quasi ad eandē propè dignitatem accedant. Potius quidem ciues habendi genere illustriores, q̃ obscuro loco nati. Nobilitati quisque domi exhibet honorem, quia verisimile est ex melioribus prodire meliores. Nobilitas autem, virtus generis est. Nō aliter quoque dicemus & virtutem de principatu iure contendere. Nam virtutē qua societas humana continetur, dicimus esse iustitiam, quam aliæ necessario comitantur omnes. Sed etiam plures ciues si cū paucioribus conferuntur, videntur esse præponendi. etenim potentiores & ditiores melioresq; sunt, quandoquidem plures cum paucioribus cōparantur. An igitur si in vna ciuitate essent omnes (dico bonos, & diuites, & nobiles, & aliā præterea ciuiū multitudinem) an inquā si vnà essent, ambigetur quos oporteat imperare, an verò dubium nō erit? Certè in omni republica de qua mentionē fecimus, ambiguū iudicium non est quibus imperādi munus incūbat. Hæc ab illa differt imperantiū discrimine, vt hęc quòd diuitum imperio cōstet, illa quòd virorū bonorum, & eodē modo vnaquæq; reliquarū. Verūtamen si vno & eodē tempore insint hæc ordinū genera, quęrunt quonā pacto sit explicanda dirimendáq; controuersia, & cui imperiū deferendū. Quòd si omnino pauci numero sunt ii quibus est virtus, quis erit modus explicandæ controuersiæ? an paucitas cū munere & onere imperādi cōferēda? possint'ne pauci administrare ciuitatē, an tot numero præficiendi, vt ex illis

efficiatur ciuitas? Atq; etiã dubitationis affertur aliquid ĩ eos omneis qui de ciuitatis honoribus certãt. Nam qui diuitiis itẽq; genere freti, se dignos arbitrãtur imperio, nullo iure suã causam defendere videntur: quia siquis vnus rursus omnium ditissimus est, vnũ cęteris omnibus præesse debere eodẽ iure apertè ostẽditur. Eodẽ modo siquis nobilitate excelleret, vnus imperaret omnibus iis qui libertate freti de imperio contendunt. Sed & ciuitatibus quibus optimi præsunt, similis forsan orietur de virtute contentio. Nã siquis vnus vir melior esset aliis qui probi in administratione reip. versantur, eodẽ iure cæteris eum præesse oporteret. Quũ igitur multitudo, quia paucis est potẽtior, imperare debeat: si vnus aut vno plures, sed multitudine pauciores, reliquis essent potentiores, illi potius q̃ multitudo sũmæ rerũ præessent. Sanè hæc omnia planũ facere videntur, nullũ ex his rectè præscriptum esse finẽ propter quem isti volũt imperare, & alios omneis à se regi. Certè enim ĩ eos qui nomine virtutis administrationi reip. pręesse volunt, itemq; in eos qui diuitiis abundãtes arrogãt sibi principatũ, ostẽdere possent verã iustãq; rationem ii qui in ciuitatibus numero plures sunt. Nihil quidem certè prohibet multitudinẽ esse meliorẽ paucis & ditiorem, nõ quum separãtur singuli, sed cogũtur vniuersi. Quapropter ei quæstioni quam agitãt proponũtq; nõnulli, licet eo quo iã dicetur modo occurrere. Sũt enĩ q in dubitationẽ vocãt, an legũlatori optimas rectissimasq; ferre leges volẽti, statuẽdũ sanciendumq;

dumq; sit id quod melioribus,an quod pluribus cõducit,si cõtingat id quod diximus,plures esse meliores ditioresq;. Deligẽdum profectò id quod æquabiliter est rectũ,& peræquè rectum ad totius ciuitatis vtilitatem, cõmunemq; ciuium rempublicã spectat. Ciuis autẽ,vt rem generatim definiamus,qui particeps est imperandi atq; parendi. Alius est ac alius in vnoquoque genere reipublicæ. Si optimæ ratio ducitur, ciuis est qui potest & vult obedire & imperare,vt bene rectéque viuatur.

SI QVIS est vnus,aut vno plures(pauciores tamen q̃ vt possint implere ciuitatẽ)qui præstãtia virtutis sic emineant,vt nec aliorũ omnium virtus,nec administrandę reip.facultas cum illorũ,si plures,aut cum illius,si vnus erit,excellẽtia cõferri debeat, non iam collocãdi sunt hi in partibus ciuitatis.Nã quum virtute ciuiliq; facultate vsq;adeo sint impares, non obtinebunt ius suum si pares habebuntur.Etenim si quis est huiuscemodi,illũ inter homines velut deum esse consentaneũ est.Ex quo planũ fit paribus & genere & facultate leges debere ferri. In viros tam diuinos nulla fertur lex.ipsi quidem sunt lex. Etenim ridiculus esset qui in eos leges ferre conaretur. Dicerent forsitan,quæ leones,habentibus cõcionẽ leporibus,& par omnibus tribui oportere decernẽtibus,respõdisse dixit Antisthenes.Hãc igitur ob causam ciuitates illæ quæ imperio populari administrãtur,vsurpant ostracismon, hoc est exilii genus quo viri opibus,gratia,gloria præstantiores,ad tẽpus ex- Cap.9.

torres profugere cogũtur. Illæ quidẽ certè æquabilitatẽ, iusq; par maximè sectari vidẽtur. Itaq; eos qui aut diuitiis, aut multorũ amicitia ac necessitudine, aut alia facultate ciuili vidẽtur esse potentiores, scripto in testa suffragio, de ciuitate eiiciũt, & solũ vertere exilii causa adigũt. Est in fabulis, propter eiusmodi causam ab Argonautis Herculẽ relictũ, quia quũ multo præstãtior esset iis qui cũ ipso trãsfretabãt, nolebat vnà cũ aliis agere nauem quam vocarũt Argó. Quocirca qui rationẽ tyranni & Periãdri consilium Thrasybulo datũ vituperant, non existimandi sunt omnino rectè improbare. Aiunt enim Periãdrum ei qui consilii petẽdi causa missus erat, nihil respõdisse, sed spicas cæteris proceriores amputasse, segetémq; adæquasse. Inde nuncio cur id faceret ignorante, & quod acciderat renũciante, Thrasybulũ cognouisse auferẽdos esse proceres ciuitatis. Id enim nõ modò tyrãnis est vtile, nec solum tyrãni faciunt, sed etiam regno paucorũ atq; populari imperio cõducit, & hic eodẽ modo cõmittitur. Nã ostracismus quodãmodo vim habet eandẽ, qui cohibet ac deprimit eminẽtiores, & profugos & extorres agit. Idẽ quoq; faciũt in ciuitatibus & nationibus ii qui vi & potẽtia obtinent principatũ, vt Atheniẽses in Samiis & Chiis & Lesbiis. Quoniã perferendis laboribus citius adepti sunt imperiũ, deiecerũt eos in humilitatẽ præter fœdera. Et rex Persarũ Medis atq; Babyloniis, aliisq; q magnificè de se sentiebãt, & propterea quòd aliquãdo imperitauissent, animos tollebãt, attenuauit opes,

&

& sæpe imminuit imperiũ. Quod dicim⁹ præsidiũ & propugnaculũ, vniuersè ad omneis res publicas etiã rectas pertinet. Nã quæ à via recta deflexerũt, quoniam ad propriũ cõmodum intendũt animũ, hoc faciunt. Enimuero quæ vtilitati publicæ cõsulũt, eandem rationẽ sequũtur. Id etiã apertè videtur in aliis artibus sciẽtiisq;. Nec enĩ pictor animali patiatur esse pedẽ qui cæterorũ membrorũ symmetriã & cõpetentiã superet, etiãsi pulchritudine sit præstãtior: nec is qui nauẽ cõpingit, puppim aut aliã nauigii particulã: nec chori magister eũ qui maiorẽ pulchrioreq; toto choro vocem mittat, sinet vnà cum aliis cãtare. Quãobrẽ nihil vetat eos qui soli regnant, idẽ sentire quod ciuitates, si modò id faciũt quia eiusmodi imperiũ propriũ ciuitatibus est vtile. Ergo in excellẽtia præstãtiaq; vnius aut paucorũ, nõ abhorret à iure ciuili ratio ostracismi. Satius erat tamẽ prĩcipio legislatorẽ sic cõstituere remp. vt nihil opus esset exuperantẽ modũ emẽdatione huiuscemodi corrigere, & siquis positis finibus egressus esset, hoc tãdẽ remediũ adhibere: quod in ciuitatibus nõ est factũ, quia nõ habuerũt rationẽ reip. quicũ sũma necessitudo est, at seditiosè tumultuoseq; in vsũ traxerũt ostracismos q̃bus ciues exturbarẽtur è ciuitate. In iis igitur publicis rebus quæ degenerauerũt, nõ est obscurũ ostracismon vtilitati priuatę conducere, atq; iure niti, nec absoluto simpliciq; iure niti. quod & perspicuũ est. Sed in optima rep. res est perquã dubia, nõ siquis alios superet alio genere bonorũ, vt viriũ & diuitiarũ

necessitudinũq; multarũ, sed siquis excellat virtute eximius, quid tũ cõstituendũ sit. Nõ est enim cur dicat aliquis oportere eiusmodi virũ eiicere atq; relegare, sed ne æquum quidẽ esse aliũ illi imperare. Nõ aliter id fieret atq; si Ioui imperare vellẽt ii quibúscũ diuisit imperiũ. Quod igitur natura cõparatũ videtur, superest, vt omnes libẽter tã præstãti viro parêre velít, vtq; similes eius ĩ ciuitatib⁹ perpetui sint reges.

Cap. 10. AB iis sermonibus quos habuimus, aliò transire, atq; de regno disputare fortasse bonum est. Dicimus enim hanc esse vnã speciem rerũpublicarũ quæ laudabiles rectæq; sunt. Videndumq; vtiléne sit & ciuitati & regioni, vt bene habeat & frequens sit, à rege gubernari, an non, sed aliud reip. genus plus afferat cõmodi. An quibusdam regnũ prosit, quibusdã minimè prosit. Atq; primùm explicãdum est an regum sit vnum genus, an verò differẽtiæ plures. Nec difficile istuc quidem cognoscere, ea dignitate multa genera cõtineri, nec vnam esse rationem omnium regnorum. Nam in Laconũ republica regia potestas maximè legibus tẽperatur. nõ enim habet omnium rerum potestatẽ: at quum patriæ finibus egressa est, regit ea quæ pertinent ad bellum. Præterea res diuinæ traditæ sunt regibus procurandæ. Ipsa quidẽ regia potestas est quasi imperium belli summum, & perpetuus rei militaris magistratus. Nec enim vbiq; necis habet potestatẽ, sed in illa modò parte regnandi lege nititur, suóque vtitur iure, vt olim apud antiquos quũ prælii causa exiissent. Homerus ostendit

loquens

loquens de Agamemnone, qui in concionibus male audiebat & cohibebatur: idem quũ Græci exiissent ad prælium, necandi ius habebat. Hæc igitur ille,

Quẽ procul à pugna atq; horrendi vulnere ferri
Nauibus in curuis cunctantem videro, præda
Alitibus canibusq́; feris laceranda iacebit.
Sunt mihi iura necis.

Hæc igitur vna regni species, perpetuum ius est belli, exercitusq́; ducẽdi, daturq́; aut genere, aut suffragiorum latione. Est & alia præter hanc regni species, quales sunt apud quosdam barbaros regum principatus, quibus est omnibus proxima tyrannicæ potestas. Attamẽ lege & more patriæ cõstant. Nam quòd sunt barbari seruitutis patientiores quàm Græci, & Asiatici magis quàm quos genuit & aluit Europa, non ægrè ferũt dominationem, & herile imperium. Quamobrem sunt illis tyrannica regna, firma tamẽ atque tuta, propterea quòd patrium morem legémque seruant: quare custodia regia est, non tyrannica. Ciues enim armis tuentur & custodiunt reges: Tyrannos autem, ab exteris asscitum præsidium. Reges enim ex lege voluntariis, tyranni inuitis ac repugnãtibus præsunt. Et ita illi à ciuibus, hi in ciues habent custodiã. Sunt igitur hæ duæ species monarchiæ. Est alia quoque nota veteribus Græcis: Eos qui hoc modo præsunt, vocant æsymnetas, hoc est iuris & iustitiæ custodes. Hæc autem potestas (vt plane breuiterque dicam) tyrannis est electa, atque differt à barbarica, non quò sine lege irrumpat, sed eò solùm quòd

præter morem patrium regnet. Hunc magiſtratum gerebant alii perpetuò, alii temporibus præſcriptis, aut quoad res gerendæ veniſſent ad exitum, vt quōdam Mitylenæi, quibus præfuerant Antimenides & Alcæus poeta, Pittacū aduerſum profugos & exules legerunt. Vt Pittacus lectus ſit tyrannus, oſtendit Alcæus in ſcolio quodā, hoc eſt in ode ſiue carmine debacchante. Vituperat enim Mitylenæos quòd vniuerſi in comitio Pittacum ciuem pernicioſum patriæ conſtituerunt tyrannum, laude ferentes hominem, & magnopere extollentes, tyrannum inquam ciuitatis quæ nulla indignatione moueatur, & infœlicitate grauiq; fortuna laboret. Hæc igitur imperia quia tyrannica, vt ſeruos dominus, ſic & ciues premunt premebantq;, quia ſuffragio dantur à volūtariis, regia ſunt. Quarta regiæ monarchiæ ſpecies floruit heroicis temporibus voluntate ciuium, more patrio, legeq; creata. Nam quòd heroes primi beneficiis augerent populum, aut artium tractatione, aut bellica virtute, aut conciliandis hominibus, aut agro comparando, hi reges non inuitis præficiebātur, & à quibus hoc erant honore ſuſcepti, habebantur vt patrii, & antiquo iure præditi. Erat penes illos imperium belli, curaq; ſacrorum quæcunque nō erant propria ſacerdotum. Præterea ius dicebant, controuerſiaſq; dirimebant. Idq; faciebant hi iniurati, illi vero iurati. Erat autem iuſiurandum in extēta manu ſceptrum. Porro autem qui priſcis temporibus regnabant, ciuilia negocia & publica & externa aſſidue regebāt.

τᾶς ἀχόλω καὶ βαρυδαίμονος. Verba ſunt Alcæi poetæ.

Poſtea

Poſtea quum reges ipſi quædam relinquerent, quædam turba popularis adimeret, nonnullis in ciuitatibus tantum ſacra & cerimoniæ regibus ſunt relictæ, quandoquidem exercitus extra patriæ fines ducendi poteſtatem non indignum putabant appellare regiam authoritatem.

HAE ſunt igitur ſpecies regiæ poteſtatis numero quatuor. vna floruit temporibus heroicis, quæ voluntarios regebat, & res definitas præſcriptaſq; tractabat. Rex erat dux belli, & iuris interpres ac iudex, necnō diuini iuris ſacrorumq; princeps. Altera barbarica, quæ dominatio & herilis eſt poteſtas ex genere lege ſuſcepta. Alia eſt quam æſymnetian vocant. ipſa quidē eſt tyrannis electa. Quarta Laconica. hæc eſt, vt paucis abſoluā, ex genere imperium belli perpetuum. Hoc igitur modo quatuor hæ ſpecies differunt. Eſt & quinta, quum vnus eſt omniū dominus, vt eſt in omni gente communíque ciuitate, quæ eſt œconomica arte conſtituta. Nam ſicut œconomica eſt quoddam regnum domeſticum, ita regium imperium eſt ciuitatis & gentis vnius aut plurium œconomia. Duæ ſunt autem regni ſpecies, vt vere dicā, de quibus omnis ferè diſputatio eſſe debet: ea quam modò explicauimus, & Laconica. Nam multæ ſunt aliæ intermediæ. In harum poteſtate ſunt pauciora quàm in pleno regis imperio, plura vero q̄ in Laconico regno. Omnis igitur hæc inquiſitio in duobus ferè verſatur. vnū eſt, vtiléne ciuitatibus an inutile ductorem exercitus & imperatorem eſſe perpetuū, Cap. II.

& eum generéne an propria ſorte ſuccedere? Alterum, conducít ne vnum eſſe omnium dominum, an non? Sanè huiuſce imperii belli conſideratio potius ad legum quàm ad reipublicæ ſpecie͂ pertinet, quoniam in omne genus rerumpublicarum cadere poteſt: quamobrem omittamus priorem quæſtionem. Qui regni modus ſupereſt, ſpecies eſt reipublicæ. Itaque de eo diſputandum, & ſi quas habet dubitationes, hoc in loco percurre͂dæ. Hoc autem quæſtionis initium, vtrum melius ab optimo viro, an ab optimis legibus regi? Iis quidem qui bonum ducu͂t ab rege gubernari, leges explicare ſolu͂ genus vniuerſum: non ſingula quæ cottidie accidu͂t, præſcribere vide͂tur. Et ita putant in quauis arte ex ſcriptis imperare eſſe dementiæ. Et in Aegypto poſt quatriduum mouere, hoc eſt eum qui corpori nocet humorem medicamentis exturbare, medicis licet. Quòd ſiquis id antè committit, ſuo periculo committit. Hac ratione planum fit adminiſtrationem ex ſcriptis & legibus, optimam non eſſe. Attamen illa ratio vniuerſe generatimq; ſcripta, iis qui præſunt, nota eſſe debet. Potius eſt enim & co͂ſtantius id cui nullus eſt omnino affectus, nulla perturbatio, quàm cui innata eſt atque naturalis. Et quidem certè iſtud morbi genus in lege non ineſt, quod omnis animus humanus neceſſario patitur. Atque forſitan aliquis dicat, hominem iſtud alio bono compenſaturum, quia ſubtilius & exquiſitius de ſingulis rebus explicabit co͂ſilium. Perſpicuum eſt igitur legumlatorem eſſe oportere,

&

& leges ab eo ferri, non eas tamẽ quæ vim obtineãt, quatenus erumpũt ad incommoda reipublicæ. nam quæ de rebus aliis cõditæ ſunt, authoritatem retinere nec abrogari par eſt. Si fieri non poteſt, vt de quibuſdam lex aut omnino, aut bene iuſteq; ſententiam ferat, an vnus optimus vir, an vero maior numerus iudicum præeſſe debet? Nunc enim vbi conuenerũt multi, ius dicunt, conſilia tractant, de cauſis ſententiã ferunt: & hæc omnia iudicia nõ de toto genere, ſed de ſingulis rebus fiunt. Quiſquis eſt certe qui ſingulatim reip. confert aliquid, minus præſtare poſſe q̃ multi cõiuncti videtur. Nam & ex multis ciuitas cõſtat. Non aliter conuiuium à pluribus collatum melius eſt ac lautius, quàm vnum atque ſimplex. Quapropter multorũ conuentus rectius ſubtiliuſq; multa decernit, quàm vir vnus, quiſquis ille eſt. Præterea multi difficilius corrumpuntur. vt abũdantior aqua quàm pauca, ſic quoque multitudo quàm paucitas hominum difficilius corrumpitur. Vno iudice ab ira aut ab alia animi perturbatione victo, iudiciũ deprauari & corrũpi neceſſe eſt. illic vero difficile eſt vnà omneis ira commoueri, atq; peccare. Sint homines liberi multi qui nihil agant præter legem, at ea certe ſtatuant quæ non potuerunt lege comprehendi. Quod ſi tot & tales reperire non in multis ciuitatibus, ſed vbi viri plures ſunt & boni & ciues, eſt facile, an vnus princeps minus corruptela deprauabitur, an potius numero multi qui ſunt omnes boni? an perſpicuũ plures fore conſtãtiores? At hi diſcor-

dant atque diſſentiunt. Si vnus modò iudicat, nulla factione diſtrahitur. Sed huic argumento opponendum, multos, quemadmodum & illum vnum, bono animo præditos eſſe. Si igitur ſtatuendum eſt ariſtocratiam eſſe multorum, eorumq; omnium bonorũ principatum, regnum verò vnius imperium, ciuitates præferre debẽt ariſtocratiã regno, ſit, ne ſit optimorum principatus cum potentia, ſi modò legere multos huiuſmodi liceat. Hæc forte cauſa eſt cur priores regibus paruerint. Rarum atq; difficile erat inuenire viros qui virtute multo cæteris præſtãtiores eſſent, tum maxime quum paruæ colerentur vrbes. Preterea accepto beneficio conſtituerunt reges: quod eſt bonorum virorum officium. Quum vero vſuuenit vt multi ſimiliter virtute florerent, nõ iam tulerũt regum dominationem, ſed commune quiddam ſibi quæſierunt, atq; remp. conſtituerunt. Quũ vero in peius ruerent, & è publicis commodis quæſtum facerent, hinc oligarchias eſſe natas probabile eſt. Fecerunt enim vt eſſent in precio diuitiæ. Ex dominatione paucorum primùm euaſerunt in tyrannidem, ex tyrannide in democratiã. Nam quum propter ſordidum quæſtum, fœdamq; auaritiæ cupiditatem, ſemper ad pauciores redigerent imperium, plus atque plus virium multitudini reliquerunt. conſpirauit igitur, & aggreſſa paucos, rem in democratiã redegit. Quum autem (vt accidit) accreuerunt ciuitates, non iam facile eſt aliam eſſe quàm popularem remp. Quòd ſiquis ſtatuat optimum eſſe ciuitatibus

imperium

imperium regum, vt erunt res filiorum?an & genus regnare debet? At si reges fiant,qualescunque fortuna dederit,resp.accipiet detrimẽtum. At,inquies,regni caput,cui summa rerum potestas, non tradet filiis imperium. Atqui non est cur magnopere confidas. Nõ dare patrem filio,difficile est,& ad eam virtutem pertinet,quæ naturã humanam superat. Sed & de potẽtia ambigitur,debét ne is cui regnum cõmissum est,confirmare se viribus hominum,vt cogere possit eos qui parêre nolunt? Quî fit alioquin vt imperium administret? Nam si à lege potestatem accipiat,nec aliquid præter legem sua ipsius voluntate agere conetur, tamen opus est eum stipari potentia, qua tuebitur leges. Non est arduum fortasse explicare quid eiusmodi rex debeat habere. Opus est illi potẽtia ac viribus,quæ tantæ sint, vt quouis vno & compluribus sit potentior,populi vero multitudine impotentior: vt veteres quum præficerent aliquem ciuitati, quem vocabant aut æsymneten aut tyrannum,custodias illi dabant atque præsidia: & quum Dionysius peteret custodes,suasit quidam Syracusanis vt tot illi darent,quot sibi dari postularet.

NVNC de eo rege qui omne quod sibi placuit, id agit,disputatio incumbit,& tractanda quæstio videtur. Nam qui lege dicitur rex, nullã (vt diximus) regni speciem cõstituit,propterea quòd in omnibus publicis rebus,vt in democratia atq; aristocratia,esse potest imperium belli perpetuum. Et multi dant vni potestatem dispensationis. Quidam magistratus Cap. 12.

est huiusmodi Epidamni & Opunte quidem minore ex parte. Disputandum est igitur de eo quod plenum vocãt regis imperium. Illud est quo rex omnia pro animi sententia regit. Et quibusdá videtur id nõ esse naturale, vnum esse principem dominúmque omnium ciuium, quandoquidem ex similibus ciuitas constat. Similibus enim ius idem & dignitatem eandem esse natura necesse est. Itaque si imparibus alimentum par aut vestem parem dari corporibus nocet, nocebit eodem modo imparibus par honorum distributio. Nõ aliter ergo oberit paribus impar distributum. Iccirco non magis imperare quàm parêre iustũ. Vicissitudo igitur & mutatio regnatoris eodem modo iusta. At id iam lex est, quia ratio temperata siue constitutio lex est. Optabilius igitur legem quàm vnum aliquem ciuium imperare. Hac eadem ratione, siquos viros præesse melius est, ii constituendi sunt custodes & administri legum. Esse quidé magistratus est necesse, sed vnum præfici, quum similes sint omnes, dicunt non esse iustum. Enimuero quæ lex definire nõ posse videatur, nec homo cognoscere possit ac explicare. Verum quum prudenter & commode lex magistra præcepit, magistratus adhibet, qui reliqua omnia quæ comprehendi lege non possunt, sententia iustissima definiant, atque dispensent. Præterea corrigédi facit potestatem, quum visum fuerit experientibus aliquid esse melius, quàm quæ lege sunt constituta. Qui igitur legem imperare iubet, iubere videtur & deum & leges imperare.

qui

qui homini mandat imperium, admouet & beſtiam. Nam cupiditas quædam velut belua eſt, & ira peruertit eos qui præſunt, etiamſi optimi ſunt viri. Lex eſt igitur mens nullo perturbata appetitu. Quæ ſumitur ab artibus ſimilitudo, videtur eſſe fallax, propterea quòd ex ſcriptis mederi corporibus eſt dementiæ. Satius eſt enim iis vti qui artibus ſunt pręditi, quàm artium ſcriptione. Illi quidem nihil agũt præter rationem amicitia adducti, ſed quum ſanarunt ægros, accipiunt mercedem. Qui gerunt magiſtratus ciuitatis, & offenſione & gratia moti multa agere conſueuerunt. Quod ſi ſuſpicione laborarẽt homines, ne medici ab inimicis quæſtuaria mercede corrupti necarent ægros, quærenda potius eſſet è ſcriptis medela. Atvero qui morbo laborant medici, alios ad ſe medicos inducunt. Et magiſtri campi qui corpora iuuentutis exercent, quum exercentur ipſi, alios adhibent magiſtros, vt qui verum à falſo diſcernere non poſſunt, propterea quòd iudicant de ſuis rebus, & animi perturbatione commouentur. Ex iis ergo quæ diximus, planum factum eſt eos medium quærere, qui ius perſequuntur. Lex enim medium. Iam quæ naſcuntur è moribus leges, plus habent authoritatis, réſque maioris momenti firmant, quàm quæ ſcripto continentur. Itaque vt homo magiſtratum gerens ſit tutior quàm ſcriptæ leges, non tamen quàm mos & cõſuetudo, quæ vim legis obtinet. At nec id facile quidem, ab vno rem perſpici. Opus erit igitur vt ei multi ſubiiciantur

qui gerant & ipſi magiſtratum. Quid ergo refert an ſtatim initio multi præficiantur, an vnus cui multi poſtea apponentur? Præterea (quod & ante dictum eſt) ſi vir bonus quia reliquos virtute ſuperat, iure præeſt, duo certe boni ſunt vno præſtantiores. Illud eſt quod ait Homerus,

Et duo collecti.

Et apud eundem exoptat Agamemnon,

Conſilio bis quinque mihi tales.

Sunt & hodie magiſtratus qui non aliter atq; iudex, de quibuſdam rebus quæ lege neque explicari neq; definiri poſſunt, habent iudicandi poteſtatem, quia hiſce de rebus lex nec optime præcepiſſet, nec iudicaſſet. Nã de quibus poteſt, nulli dubitatio eſt quin debeat in illis eſſe princeps. Sed quum partim rerum comprehendi legibus poſſint, partim nullo modo poſſint, dubitatio affertur & quæſtio, optabiliús ne ſit optimam legẽ, an optimum virum imperare. Nemo enim de iis leges ferre poteſt, quæ aduocato conſilio ſtatuunt homines. Non hic igitur contradicunt nec inficiantur opus eſſe homine qui hiſce de rebus iudicet, quia rectè iudicat quiſquis magiſtratum gerit à lege eruditus. at non vnum modo, ſed multos iudicare oportere contendunt. Abſurdum & inſolens eſſe videretur, ſiquis melius duobus oculis videret, & duabus auribus ſonos cognoſceret, atque duobus pedibus manibúſque duabus ageret, q̃ plures pluribus. Nam & hodie qui ſoli regnant, ſibi multos oculos, & aures & manus & pedes adiungunt.

iungunt. Quos enim vident illic bono animo & beneuolo esse in magistratum, iis honoris magistratúsque partem aliquam distribuunt. Quòd si non sunt amici, non facient id quod optat monarchus. Si vero sunt illius amici atque imperii, quum par sit ac similis amicus, obsequentur. Hos igitur si putat esse dignos imperio, eadem ratione pares & similes honore dignos existimat. Hæc fere sunt quæ in regiam potestatem afferunt ii qui hac de re disputatione contendunt. At hæc forsitan aliqua ex parte vere dicuntur, ex parte falsó. Est aliquid natum ad dominum ferendum, & aliud ad regem, & aliud ciuile ac iustum commodúmque. Quod est tyrannicum, minime naturale est, nec vlla rerumpublicarum quæ corruptæ sunt, & à recta via deiectæ, naturam sequitur. Fiunt ista præter naturam. At ex iis quæ diximus, planum fit neque vtile neque iustum esse inter similes ac pares vnum esse cui sit omnium potestas, neque si leges absint, quia sit ipse tanquam lex, neque si bonus bonis, neque si non bonis non bonus præsit, neque si virtute sit melior cæteris, nisi quodam modo. Qui sit ille modus, est dicendum, & à nobis aliquo pacto prius est dictum. Primum definiendum quid aptum sit ad regem ferendum, quid aristocraticum, quídq; politicum. Aptũ ad regem ferendum est id populi genus, cui natura dedit æquo animo ferre genus hominum virtute qua ciuitas regatur, eximium. Aristocraticum po-

puli genus, quod ſuapte natura ferre vult imperantium multitudinem, quódque regi poteſt libero principatu ab iis qui in adminiſtratione ciuili ſunt virtute facilè primi. Politicum genus populi, quod ad bellicam virtutem natum coaluit, & parêre & imperare poteſt, lege magiſtratus & honores pro dignitate iis etiam qui egent, partiente. Quum ergo contingit aut totum genus aut vnum virum cæteris ita virtute præſtare, vt illius ſit maior quàm aliorum omnium virtus, tum genus illud eſſe regium, & omnium habere poteſtatem, & illum vnum eſſe regem, æquum eſt. Hoc naturale ius eſt, non illud ſolum de quo antea locuti ſumus, quod proferre & in medium producere ſolent ii qui reſpublicas & ariſtocraticas & oligarchicas & democraticas inſtituunt. Omnes enim præſtantia cenſent imperium, ſed non eadem præſtantia atque excellentia, at illa de qua ſuprà verba fecimus. Nec enim virum tam præſtantem aut occidere, aut exilio afficere, aut oſtraciſmo relegare decet, nec idoneum putare qui viciſſim priuatus obtemperet. Pars natura totum non ſuperat. Id autem viro tam excellenti, ſi regeretur, accideret. Supereſt igitur illi ſuadere, vt non viciſſim ſed omnino ſummam rerum teneat. Hoc modo de regia poteſtate, quas habeat differentias, & an ciuitatibus vtilis ſit nécne, & quibus & quomodo conducat, explicetur quæſtio. Quum vero dicamus eſſe tria genera rerumpublicarum quæ rectæ ſunt ac probandæ, neceſſe eſt eam

quæ

quæ ab optimis administratur, optimam esse. Ea est autem, cui aut vnum omnium, aut genus totum, aut multos reliquis longe anteire virtute contigit, aliis vltro imperium ferentibus, aliis imperantibus, ad optatissimum vitæ genus obtinendum. Iam demonstratum est rationibus primis oportere eandem viri boni & ciuis optimæ ciuitatis esse virtuté. Nec dubium est quin eodem modo iisdémque artibus fiat vir bonus, quibus aristocratia & regnum constituitur. Erit igitur eadem ferè disciplina, & mores iidem qui bonum faciant virum, quíque forment & eum qui ciuitati imperet, & eum qui regnet. Posteaquam sunt hæc explicata, iam ineunda est disputatio de optimo reip. statu, quomodo fiat constituaturque. Necesse enim est eum qui ea de re dicturus est, quantum res petit, tantum adhibere contemplationis & diligentiæ quærendi.

ARISTOTELIS POLITICON
Liber quartus.



N omnibus artibus & scientiis quæ non vnam modò particulam tractant, sed in vno aliquo genere sunt perfectæ, vnius est ac eiusdem facultatis videre quid cuique generi cohæreat & consentaneum sit, vt quæ cui sit vtilis exercitatio corpori, & quod optimum sit exercédi genus, (nam corpori optime nato, & naturæ bonis affluenti, opti- Cap. I.

mam congruere exercitationem eſt neceſſe) & quod ad plurimos aptum, vnum ac idem omnibus. Etenim iſtud eſt gymnaſticæ, hoc eſt artis eius quæ corpora exercet in campo. Iam ſiquis nec habitum nec ſcientiam congruam & exquiſitam eorum quæ pertinent ad palæſtram atque certamen, deſideret, nihilo minus eſt magiſtri campi, & eius qui corpora iuuentutis exercet, hanc inſtruere facultatem. Hoc item & medicinæ, & arti ædificandæ nauis, & parandæ veſtis, omnibúſque aliis artibus videmus accidere. Perſpicuum eſt igitur eſſe eiuſdem ſcientiæ videre quæ ſit optima reſpublica, & qualis ea quæ quòd nullo externo tardetur impedimento, maxime habeatur ex animi ſententia, & quæ quibus ciuibus accommodata. Vt enim plures optimam adipiſcantur, fortaſſe fieri non poteſt. Itaque quæ ſimpliciter & abſolute ſit optima, & quæ non ſimpliciter, ſed ex rebus ſubiectis optima, non debet ignorare legiſlator, & is cui vera adminiſtrandæ ciuitatis eſt ratio. Præterea noſſe debet tertiam quæ eſt ex hypotheſi. Oportet enim perſpicere poſſe quam quis propoſuerit, quomodo conſtituatur ab initio, & conſtituta longiſſimo tempore conſeruetur: verbi gratia ſi cui ciuitati contigit, vt nec optimam rempublicam adminiſtret, quòd illi res neceſſariæ non ſuppetunt, nec habeat, quantum ex iis rebus quæ ſuppetunt fieri poteſt, bonam, ſed deteriorem quandam. Præter hæc omnia operæ precium eſt cognoſcere adminiſtrandi rationem quæ omnibus maxime ciuitatibus

congruit,

congruit,id quod factitant permulti qui suam de re publica proferunt sententiam,qui si de aliis recte loquuntur,de vtilibus certe perperam. Non enim modò optima videnda, sed etiam quæ potest haberi, & item quæ facilior est omnibus ciuitatibus & communior. Nunc autem sunt qui supremam tantum, cui multa rerum copia est opus,quærunt. Alii communiorem aliquam verbis explicāt,& eas quæ sunt in vsu, auferentes, aut Laconicam aut aliam nescio quam laudant. At oportet eam induci reipublicæ constitutionem, ad quam recipiendam propter eas quæ adsunt opes, facilè ciues adducentur, & poterunt communi societate seruari. Quòd autem non minus est difficile remp. emendare, quàm instituere ab initio & informare,quēadmodum nihilo facilius est iterū discere,quàm ab initio discere: iccirco præter illa quæ dicta sunt à nobis,is cui data est ratio & cura ciuitatis,debet(id quod ante dictum est) iis quæ nunc sunt publicis rebus,opem ferre posse:quod facere non potest,si quot sint reipublicæ species ignoret. Nunc autem sunt qui vnam esse democratiam, & oligarchiam vnam putāt: id quod minime verum est. Tenendæ sunt igitur rerumpublicarū differētię, quot sint,quotq; modis componantur:& vnà cū hac ipsa prudētia cognoscēdæ leges optimæ, & quæ cuique rerūpublicarū maxime congruant. Leges enim ferri debent & feruntur omnes, vt reipublicæ subseruiant, non vt legibus respublica. Nam respublica est modus & ratio præscripta ciuitatibus, quæ

demonſtrat vt diſtribui debeant magiſtratus, & in quo ſumma ſtatuenda ſit authoritas, & qui cuiuſq; ſocietatis finis. Leges autem variæ ac ſeparatæ, ordinem reip. demonſtrãt, quarum præſcripto magiſtratus imperare debent, & obſeruare qui prætereunt illas. Perſpicuum eſt igitur tenendas eſſe differẽtias, & habendum numerum cuiuſque reip. vel ad ferendas leges. Nam fieri nequit, vt omni oligarchiæ & omni democratiæ leges eædẽ ſint vtiles, quandoquidẽ non vna modò neque democratia neque oligarchia eſt, ſed vtraque ſpecies habet multas.

Cap. 2. QVONIAM prima ratione atque via de publicis rebus diſſeruimus, treis eſſe reſp. rectas, regnũ, ariſtocratiã, & quam nomine generis vocant remp. treis quoq; alias quæ degenerant ab illis, tyrannidẽ à regno, oligarchiam ab ariſtocratia, democratiam à proprie dicta rep. & de ariſtocratia regnoq; diſputatum eſt, (nam de optima rep. diſputare, non aliud eſt quàm de nominibus his habere ſermonẽ) quia vult vtraq; res virtute, cui ſuppeditant omnia, conſiſtere: ad hæc quoniam prius explicatum eſt quid inter ſe differant ariſtocratia atque regnum, & quando debeat inſtitui regnum: ſupereſt ea reſp. explicãda, quę nomine communi appellatur: ſuperſunt & aliæ, oligarchia atque democratia & tyrannis. Manifeſtum quidem harum quæ in prauum degenerarũt rerum publicarum, quænam peſſima atque teterrima, quęq; ſecũda ſit, ac proximo genere prauitatis laboret. Neceſſe eſt enim eam quæ à prima maximeq; diuina cecidit,

cidit, eſſe deterrimam, atq; regnum aut verbo ſolùm non re eſſe, aut multa præſtantia regnantis & excellentia conſiſtere, & ita peſſimam eſſe tyrãnidem, & à republica abeſſe longiſſimè: oligarchiam, à qua ariſtocratia longo diſtat interuallo, ſecũdum occupaſſe praui locum: democratiã minimè omnium à modo recedere. Iam hiſce de rebus quidam prius hoc modo ſuam tulit ſentẽtiam, qui tamen non idem quod nos vidit. Ille quidem iudicauit, omnium quæ æquo bonóq; nituntur rerumpublicarum, qualis eſt vtilis oligarchia, quales aliæ bonæ, peſſimã eſſe democratiam, malarum verò omnium optimam. Nos autem has omnino à via recta deflexiſſe confirmamus: nec bene recteq; dicitur oligarchiã aliam alia eſſe meliorem, ſed minus malã ac improbã. Sed de huiuſmodi iudicio ſermo in præſens tempus omittatur. Principio nobis vtendũ eſt diuiſione, & diſtinguendę ſunt rerumpublicarum differẽtiæ, quandoquidem plures ſunt democratiæ & oligarchiæ formæ: deinde vidẽdum quæ poſt optimam remp. maximè communis eſt, & quæ cæteris exoptanda magis. & ſiqua eſt alia præclarè conſtituta, atq; optimorum ſtatum imitata proximè, multíſque ciuitatibus congruens, quæ ſit: poſtea ex aliis quæ quibus expetenda. Quibuſdam fortaſſe democratia, quàm oligarchia, magis eſt neceſſaria, quibuſdam magis hæc quàm illa. Præterea quomodo inſtituere debeat has reſpublicas, cui inceſſit hæc volũtas, democratias inquã ſpeciatim, atq; rurſus oligarchias. Et tãdem quum breuiter horum

omnium, quoad potuerimus, mẽtionem fecerimus, erit tentãda ac ineunda disputatio, quæ res sint corruptrices quæque seruatrices rerumpublicarum & communiter vniuersarum, & separatim singularũ, & ex quibus maximè causis soleant hæc oriri.

Cap. 3. CVR multæ sint respublicæ, causa est partiũ varietas. sunt in omni ciuitate partes numero plures. Primùm quidẽ ciuitates omneis è domibus esse cõcretas videmus, deindè ex hac rursum multitudine alios esse diuites, alios pauperes, alios intermedios: & diuitũ atq; pauperũ partẽ arma tractare, partẽ inermem viuere est necesse. Videmus etiã populi partem agrum colere, partẽ negociari atq; mercari, partem sordidis artibus operã dare. Suntq; nobiliũ differentiæ & ex diuitiis, & ex magnitudine facultatum, cuiusmodi necessariæ sunt alẽdis equis ad bella atq; certamina. nec enim facilè possunt alere ii quibus diuitiæ non suppetũt. Iccirco temporibus priscis quæ ciuitates equestri potentia florebant, à paucis diuitibus regebãtur. Vtebantur equis aduersus finitimos hostes, vt Eretrii, & Chalcidenses & Magnetes qui Mæandrum accolunt, & Asiaticorũ multi. Iam præter eas quas diuitię pariunt differẽtias, vna est ex genere, altera ex virtute: & siqua alia huiusmodi pars ciuitatis necessaria videtur, explicata est iis quæ de aristocratia conscripsimus. Illic enim disputaui quot ex partibus necessariis ciuitas omnis coalescit. Atq; nonnũquam omnes hæ partes sunt reipublicæ participes, aliquando pauciores, interdũ plures. Perspicuum

cuum igitur respublicas necessariò plures esse, atq; specie differre. Etenim partes ipsę specie differũt inter se. Sanè respublica est institutio rectionum. Hãc autem partiũtur omnes aut pro eorũ potestate qui republica fruũtur, aut pro cõmuni quadam illorum æqualitate, potestate, vt pauperũ aut diuitum: communi æqualitate, vt amborum. Necesse est igitur tot esse respublicas, quot sunt rationes administrãdi excellẽtia ac præstantia ordinũ & partiũ differẽtia atq; varietate distictæ. Sed maximè vidẽtur esse duæ quibusdam, vt aiunt in distributione ventorũ alios esse aquilonales, alios australes, cæteros non aliud esse q̃ immodicas illorum declinationes. Sic & respublicæ dicuntur esse duæ, populus, & oligarchia. Nã aristocratiam speciẽ oligarchiæ faciunt, vt quæ ad paucorum authoritatẽ pertineat. Et eam quæ respublica vocatur, democratiam statuunt, non aliter atq; de vẽtis aiunt ad Boream Zephyrũ, ad Notum Eurum pertinere. Sic & de musicis concentibus quidam loquuntur. Illic enim duas species faciunt Doriam & Phrygiam, cæteras harmoniæ constitutiones partim Dorias, partim Phrygias vocant. Hoc quidem modo maximè diuidendas esse respublicas vulgò arbitrantur. Verior autem meliórq; diuisio qua sumus vsi, duarum vel vnius bene constitutæ deprauationes esse quæ restant: has quidem temperati probeq; moderati concentus, vt dominationes paucorũ concitatæ musicæ, & herilis imperii similiores: illas verò optimæ reipublicæ, vt rectiones populareis, quæ

perinde languescunt, atq; remissi mollésque modorum numeri.

Cap. 4. NON debemus autem sic statuere democratiam, vt nũc quidam solent imperitè & simpliciter, in qua summam rerum tenet multitudo. Etenim in oligarchiis & vbique, maior pars imperium habere potest. Nam si essent omnes mille & trecenti, & ex illis mille diuites non paterentur esse imperii participes trecentos pauperes, quanuis liberi essent ac cætera similes, nemo diceret eos in democratia viuere. Eodẽ modo si pauperes essent pauci, & maiorem diuitum numerũ potẽtia vincerent, nullus oligarchiã appellaret, etiãsi diuites in nullos honores publicos admitterẽtur. Dicendũ potius tum esse popularẽ statum, quum liberis hominibus imperium creditũ est: oligarchiam, quum diuitibus. Sed accidit illos esse multos, hos verò paucos. Liberi certè quidem multi, diuites autem pauci. Et siqui pro corporum magnitudine distribuerent magistratus, vt à quibusdam partiri dicuntur Aethiopes, aut pro forma atq; pulchritudine, tum status paucorum diceretur, propterea quòd non multus est & pulchrorum & magnorum numerus. At verò non satis est has res publicas explicasse tam paucis, sed quum plures sint & populi & oligarchiæ partes, est opus alia distinctione. Nec enim si pauci liberi & ingenui essent, atq; pluribus non liberis imperarent, popularis esset principatus, vt Apolloniæ, quæ est in Ionio, atq; Theræ, in vtraque ciuitate magistratus gerebant ii qui ingenuita-

te

te præſtabant,& primi locum obtinuerant coloniæ, tametſi inter multos erant pauci: neq; ſi diuites multo plures eſſent, vt Colophone quõdam, iccirco imperiũ populare videretur. illic antequã bellum ſuſceptum eſſet in Lydos, maior pars ciuium magnas facultates poſſidebat. Sed eſt democratia,quum homines liberi & tenues numero plures imperant:oligarchia verò,quum diuites nobilioréſq; pauci. Plures igitur eſſe respublicas diximus, cúrque ſint plures. Sed quoniam plures ſunt, quàm quas ſuperiore diuiſione diſtinximus, & quænam ſint, & propter quid, repetito ſuperiore principio dicamus. Cõſentimus omni ciuitati nõ vnam modò,ſed plures eſſe partes. Si ſpecies animalis tenere vellemus, primùm diuideremus id quod eſt neceſſe omne animal habere,vt apta quædã ad ſentiẽdum membra,& quod alimentum conficit, & quod excipit, vt os & ventrem. Præterea quibus mouetur partibus animal vnumquodq;,quandoquidem tot modò ſpecies videntur eſſe membrorũ quæ neceſſaria ſunt: differentiis autem hæc in multas ſpecies diuidẽtur: verbi gratia, plura ſunt & oris & ventris & ſedium ſenſus genera. Iam ſi binæ mouentiũ partium differentiæ numerentur, plura animãtium genera neceſſario conſtituent. nec enim fieri poteſt, vt animal idem plures oris differẽtias habeat, nec item aurium plura diſcrimina. Quum igitur ſumptæ fuerint omnes quæ ſumi poſſunt binæ coniunctiones, conſtituẽt animantis formas, nempe totidem quot ſunt coniugationes.

earum quæ necessariæ sunt animali partiū, sic & earum de quibus locuti sumus rerumpublicarū, nobis distribuendæ sunt atq; conferēdæ particulę. Etenim ciuitates non ex vna, sed ex multis partibus componuntur, vt à nobis sæpenumero dictum est. Vna igitur multitudo est, quæ operā dat alimento, agricolæ vocantur. Altera est quam Græci βαύαυσον vocāt, nos opificum plebem nominemus. ea versatur in artibus plebeiis & illiberalibus, quæ si desint, ciuitas in vna sede manere non possit. Ex his artibus aliæ necessariò exercēdæ, aliæ aut sunt cupedinariæ, aut vitę elegantiam ministrant. Tertia est quæ in foro negociatur, eam dico quæ versatur in vēditionibus emptionibusq;, & in mercatura, necnon in arte quadā sordida quę mercatur à mercatoribus quod statim vēdat. Quarta est eorum qui mercenarias operas locant. Quintum genus armis tuetur ciuitatē, quod nihilo minus est necessariū q̃ superiora quatuor, si ab hostibus qui impetu facto vicerint, ciues nolint seruitute premi. Num fieri potest, vt ciuitas digna suo nomine, verè dicatur serua esse natura? Ciuitas enim sibi satis est, mancipiū non item satis. Quapropter in libris Platonis de rep. ornatè quidem sed imperfecte Socrates, quū dicit ex quatuor maximè necessariis ciuitatē cōfici: hos nominat, textorē, agricolam, coriarium, ædificatorē. Rursus, quòd hi non explent numerum necessariū, addit & fabrū qui metalla tractet, ac instrumēta paret: & pecuarios, qui pecus necessarium curēt: & pręter hos mercatorē, & aliū viliorem

qui

qui non verſatur in externo mercatu, ſed in ſua ciuitate mercatur à mercatoribus quod ſtatim vendat, κάπηλον Græci vocant. Et hæc omnia conficiũt complentq́; primam ciuitatem. Quaſi verò ciuitas omnis propter res neceſſarias, ac non propter honeſtũ potius ſit cõſtituta, & ęquè indigeat ſutoribus & agricolis. Nec antè propugnatores in partibus ciuitatis collocat, q̃ agro creſcente, & finitimis illũ attingentibus vaſtantibusq́; inſtituantur ad bellũ. Atvero in quatuor illis quos numerat Socrates, & in iis qui cõmunitate ſocietateq́; iungũtur, quãtuſcunq́; ſit illorum numerus, aliquẽ eſſe neceſſe eſt qui ius reddat, & de cõtrouerſiis iudicet. Quòd ſi anima potius habenda pars eſt animãtis quàm corpus, hi quidẽ, propugnator, & is cui iuſtitia iudiciumq́; cõmittitur, potius collocãdi ſunt in partibus ciuitatum, quàm qui ad vſum neceſſarium tendunt: quibus adde ſenatorem ſiue conſiliarium, quod ciuilis intelligẽtiæ munus eſt. Et hæc ſiue ſeparatim à quibuſdã geruntur, ſiue ab iiſdem, nihil refert ad hunc ſermonem. Sæpe accidit iiſdem, vt armentur in bellũ, & agrum colát. Si ergo & hæ & illæ ſtatuẽdæ ſunt particulæ ciuitatis, perſpicuum eſt ordinem eorũ qui remp. tuentur armis, neceſſariã ciuitatis eſſe partem. Septima pars eſt quæ opibus augendis inſeruit, opulentos vocamus. Octaua quę publicum gerit officium, & magiſtratus adminiſtrat, quandoquidem ſine magiſtratibus ciuitas eſſe nequit. neceſſe eſt igitur eſſe qui imperare poſſint, quíque aut perpetuo aut viciſſim ſint

administri ciuitatis. Reliquæ sunt eæ de quibus paulò antè breuiter locuti sumus, partes: vna quæ consilium dat, altera quæ iura litigantibus reddit. Hæc igitur si in ciuitatibus esse, & pulchrè iusteq; fieri debent, necesse est quosdã virtutis ciuilis esse participes. Alias igitur virtutes & facultates ciuibus iisdem contingere pleriq; censent, vt eosdem esse posse qui bella gerant, & agrũ colant, & artes exerceant, præterea qui consilia regant, quiq; dirimant controuersias. Virtutẽ sibi arrogãt omnes, permultisq; muneribus putant se præesse posse: sed vt iidẽ & diuites & pauperes sint, fieri nõ potest. quamobrem hæ maximè vidẽtur ciuitatis esse partes, locupletes atq; egentes. Iam quoniam sæpius accidit vt hi sint pauci, illi verò multi, partes ciuitatis istæ videntur esse cõtrariæ. Itaque respublicas ex earum præstantia constituunt, & existimant duas esse democratiã & oligarchiã. Atenim plures esse, & cur ita, prius est dictũ. Plures autẽ democratiæ ac oligarchię species esse dicamus, quod & ex iis quæ diximus, perspicuum est: quia & plebis & eorum qui nobiles dicũtur, species multæ sunt: vt species plebis multæ, vna, agricolę: altera, artifices: alia, negociatores ii qui in vẽditione & emptione versantur: alia eorũ qui mare frequentant, ex quibus alii bellatores, alii mercatores, alii portitores, alii piscatores. Nã multis in locis horũ omnium frequens est turba, vt multi sunt piscatores Tarenti Bizantiiq;, bellatores Athenis triremibus destinati, mercatores in Aegina ac Chio, portitores ĩ Tenedo.

præter

Præter hos ſunt qui manu ſibi victum quæritãt operarii, & quibus parua res eſt adeo, vt eſſe in ocio & quieſcere non poſſint. Sunt & homines liberi nõ ex vtroque parente ciue nati. Et ſiqua ſpecies eſt huiuſcemodi diuerſæ multitudinis, illis adiungito. Nobiliũ differentiæ, diuitiæ, clari natales, virtus, eruditio, & his ſimilia quæ differentiæ cauſa nominantur. Enimuero democratia quæ prima dicitur, æquabilitate maximè conſtat. Nam huius democratiæ lex ius par edicit, ne plus minúſve habeant egentes quàm locupletes, ne alterutra pars alteri præeſſe velit, ſed vt hi & illi ſint pares. Nam ſi libertas maximè locum habet in democratia, vt nõnulli exiſtimãt, & ęqualitas eodẽ modo omniũ quibus ſimiliter reſpublica cõmunis eſt, ſeruari maxime debet. Quũ vero pluribus populus capitibus cõſtet, & primã habeat authoritatẽ id quod viſum decretumque eſt, pluribus eum eſſe ſtatum popularem neceſſe eſt. Hæc igitur vna popularis imperii forma. Eſt alia in qua magiſtratus à cenſibus non ita fuſis quidem & copioſis creãtur, cui cenſus eſt lege definitus. huic danda poteſtas gerendi magiſtratus, qui iuſtum cẽſum reiicit vel perdit inuitus, nõ fit reip. particeps. Alia popularis imperii ſpecies, quũ ciues omnes quibus nihil obiici poteſt vitii & impedimenti, ius habent honoris publici, & leges imperãt. Et alia democratia, quum in diſtribuendis honoribus nullius nõ habetur ratio, ſi modò ciuis ſit, atq; imperat lex. Et alia, quum cæteris eodem modo conſtitutis, nõ lex imperat quidem, ſed multitudo: quod tum fit, quum ſuffragia

ἀνυπεύθυνοι uerbum eſt unũ, ab imperito diuiſum.

ac populi iussa primas habent,non lex. Id accidit,quia sunt homines populares qui multitudinis gratiam emerentur,& ei se duces præbent. Non enim quæ lege reguntur democratiæ,habēt factiosæ turbę duces,sed optimos ciues qui præsunt,& rēp. administrant. Vbi vero leges non imperant,illic existunt duces qui auram popularem captant. Porro autem populus qui velut monarchiā obtinet,compositus est vnus ê multis,multi quidem principes & domini,non vt singuli,sed vniuersi. Homerus autem cuiusmodi principatum multorum nō esse bonum dicit? an hunc de quo loquimur,an eum quem tenent multi vt singuli,nec manifestum est,nec exploratū. Sed populus istiusmodi qui perinde est atq; vnus omnium princeps, quia non regitur à lege, vult vnus omnia iubere, & talem vsurpat, qualis est domini in seruum,potestatem. Et ita adulatores apud eum sunt in precio. ille quidem eam quæ est in monarchia tyrannidem proportione reddit. iccirco eadem ratio morum. & vtrunq; imperium meliores viros seruitute premit: ac populi suffragia iussaque sic sunt vt tyrannorum edicta,popularésque ductores & adulatores iidem,& qui comparatione proportioneq; conferri nō improbe possunt. Plurimum enim possunt vtriq;, adulatores apud tyrannos, populares molléſque plebeculæ ductores, apud populos legum vinculo solutos. Hi propterea quòd omnia referunt ad populum,sunt in causa cur plebiscita dominētur, haud leges. Quia vero populus imperat,& hi popularem quò libitum est opinionem trahunt,

trahunt(illis enim populus adhibet fidem) magni fiũt ac potentes. Iam qui magiſtratus accuſant,& in iudicium vocant, aiunt populum iudicem eſſe oportere. Is autem lubẽs eorum cauſam qui vocantur eò iudicii,cognoſcit. Itaque diſſoluũtur omnes magiſtratus. Qui dicit igitur iſtiuſmodi dominationem eſſe popularem confuſionem, non remp. non iniuria damnare videatur. Non enim res eſt publica,vbi non imperant leges. Nam lex omnibus debet imperare: magiſtratus atq; respublica de ſingulis quæ lege comprehendi nõ poſſunt,iudicare. Si igitur eſt vna rerumpublicarum democratia,non dubium eſt quin iſtiuſmodi cõſtitutio in qua ſuffragiis omnia regũtur ,impropriè democratia nominetur. Nullũ certe ſuffragiũ,aut ex ſuffragiis plebiſcitum,ad vniuerſum genus pertinere, & perpetuũ communéque eſſe cõtingit. Hoc igitur modo democratiæ ſpecies explicentur.

SVNT & oligarchiæ ſpecies: vna,quum magiſtratus ex cenſu tanto creantur, vt pauperes numero plures ad remp. capeſſendam accedere non poſſint, ſed ei modò qui tantum habet rei, quantum lege definitur, ad remp. pateat acceſſus. Altera, quum cenſibus ex paruis leguntur ampliores magiſtratus, & hi quos deeſſe vident, legunt. Si igitur ex omnibus iis qui præteriti fuerant, delectum faciunt,id potius ad optimorum ſtatum videtur pertinere. ſi vero ex aliquo ordine definito, illud eſt dominationis imperiiq; paucorum. Alia ſpecies oligarchiæ,quum filius in locum patris ſuccedit. Quarta,quum ſic eſt reſpublica Cap. 5.

conſtituta, vt nunc à nobis explicatum eſt, non autē lex, ſed ii qui præſunt imperant. Hæc ſpecies oligarchiæ, & tyrannis ſpecies monarchiæ, & illa de qua locuti ſumus vltima forma democratiæ, ſibi quaſi e regione & ex altera parte reſpondent. huiuſmodi oligarchiam græci vocant δυναστείαν, nos potentatum nominemus aut potētiam. Quot ſpecies habeat oligarchia, quótque imperium populare, demonſtrauimus. Sed eſt operæ preciū cognoſcere multis in locis accidere, vt reſp. quæ legibus minimè popularibus regitur, moribus & modo viuendi populariter adminiſtretur. Et item contrà, vt apud alios reſp. quæ nimiū populari legum inſtitutione vtitur, modo viuendi & moribus ad paucorum ſtatum contendat. Id accidit maxime à rerumpublicarum mutatione. Non enim cōtinuo in aliam ſpeciē deflectunt, ſed primū acquiescunt, & præſenti rerum ſtatu contenti ſunt ii qui ambiunt, ſi modò paulo ſuperiores ſint alius alio, & auctiores. itaq; manent quæ prius erant leges: at vero ſuperiores ſunt ac potentiores, qui rerū ſtatus immutant. Tot ſpecies eſſe democratiæ atque oligarchiæ ex ſuperiore ſermone manifeſtum eſt.

Cap. 6. NAM aut omneis quas populi diximus parteis eſſe in communione reip. aut alias cōmunitate frui, alias excludi neceſſe eſt. Quum igitur pars illa quæ agriculturæ dat operam, & ea quæ rem mediocrem poſſidet, habent reip. poteſtatem, regunt eam iuſſu & imperio legum. quoniam opera ac labore victū quærunt, nec ocioſam vitam agere poſſunt, iccirco legem

præficiunt,

præficiunt, atque neceſſarias conciones aduocant. Cæteri ad remp. accedere poſſunt, quum implerunt cẽſum legibus definitũ. Enimuero prorſus omnibus haud licere, ad paucorum ſtatum pertinet. Cui vero non ſunt emolumenta & vectigalia, fieri non poteſt vt ei liceat ducere quietem. Propter has igitur cauſas hæc vna democratiæ forma. Eſt alia ſpecies quum populi comitio delectuq; creãtur magiſtratus. Omnibus qui nullum ex genere ſuo contraxerunt vitium indignum ciuitate & magiſtratu, ius eſt capeſſendi remp. quum vacare poſſunt à priuatis negociis, & publicis incumbere. Quapropter in huiuſmodi democratia leges imperant, quia nullus eſt quæſtus, nullumq; vectigal. Tertia ſpecies, quum omnibus qui liberi ſunt, remp. capeſſere licet, nõ propter eam quam ſupra diximus cauſam. In hac igitur & imperare legẽ neceſſe eſt. Ad extremum ciuitates occupauit ſpecies democratiæ quarta. Quòd enim illæ increuerunt, & abunde ſuppetunt vectigalia, ſunt omnes ciues reip. participes, propterea quòd lõge ſuperat vulgi multitudo. Eſt illis reip. cõmunitas, & eam regunt, quia à ſuis negociis vacare poſſunt, & egentes mercedem percipiunt. Et eiuſmodi vulgus ocium maximè ducit. Nihil hoc impedit priuata cura, diuites autem impedit: iccirco frequenter concionis & iudicii conuentu priuantur. Quamobrem non leges, ſed tenuium multitudo obtinet principatum. Species democratiæ tot & tales iſtæ genuerũt neceſſitates. Sunt & oligarchię ſpecies: prima, quum plures habent rem tenuiorem

quidem, nec admodum copiosam. Cui fortunæ facultatesque sunt, huic faciunt regendi potestatem. Et quia multi sunt participes publicæ administrationis, necesse est non homines sed legem imperare. Nam quòd longius absunt à monarchia, neque tantas habent opes, vt ocio se tradere, & rem familiarem negligere possint, neque tam paruas, vt nutriantur à ciuitate: necesse est vt ne seipsos, sed legem imperare velint. Quòd si diuites sint pauciores quàm priores, bona vero plura, species est oligarchiæ secunda. Nam quia plus possunt, omnia superiora habere volunt. Legunt igitur ex aliis eos qui in administrationem reipublicæ vadunt. Hoc genus legis sanciunt propterea, quòd non ita iam confirmarunt vires, vt sine lege possint imperare. Quòd si pauciores sint, & maioribus diuitiis augeantur, tertia species oligarchiæ accrescit, quum occupent ipsi sua authoritate magistratus, & lex iubeat in locum patrum filios succedere. Quum vero iam & opibus & amicorum necessitudinibus multo sunt auctiores, ad monarchiam proxime accedit huiuscemodi potentia, & hominum non legis est imperium. Et hæc oligarchiæ species est quarta, quæ videlicet vltimæ democratiæ formæ quasi ex altera parte respondet.

Cap. 7. PRAETER democratiam & oligarchiam duæ sunt etiam respublicæ: alteram (id quod dictum est) omnes vnam quatuor rerumpublicarum speciem esse dicunt. Quatuor nominant, monarchiam,

narchiam, oligarchiam, democratiam, quartámque aristocratiam, hoc ei nomen est. Sed est quinta quæ nomine appellatur omnium communi. vocant enim rempublicam. at quoniam non ita frequenter inuenitur, ignoratur ab iis qui species rerumpublicarum numerare conantur: quamobrem non plures quàm quatuor vsurpant, vt in libris de republica Plato. Aristocratia sane non improbe dicitur ea quam primis sermonibus explicauimus. Illam quiden solam rempublicã iure appellamus aristocratiam, quæ ciuibus optimis simpliciter & absolute, non aliqua subiectione & interpretatione bonis constat. In ea quidem sola idem bonus est & vir, & ciuis: in aliis autem non simpliciter boni sunt viri, sed in suo reipublicæ genere boni. Verum enimuero nonnullæ sunt quæ differunt ab oligarchia atque ea quę vocatur res publica, & aristocratiæ nominantur, Vbi enim non ex diuitibus modo, verumetiam ex optimis legunt magistratus, ea respublica differt ab vtraque, & aristocratica vocatur. Etenim quibus in ciuitatibus non est publica cura virtutis, aliqui sunt tamen qui bene audiunt atque laudantur, & æqui boniq; viri videntur esse. Vbi igitur resp. spectat opes & virtutem & populũ, vt Carthagine, illa ad optimorũ statũ nonnihil inclinat. In quibus vero ciuitatibus duo solũ spectantur, virtus & populus, vt in ea quæ Lacedæmoniorum est, hæ duæ miscentur, democratia atq; virtus. Hæ sunt igitur duæ species aristocratiæ, præter illã primam quam diximus optimam remp. & tertia

reperitur in qua ſunt illæ ciuitates quæ tametſi ad rempublicã nomine communi dictam videntur pertinere, tamen in oligarchiam magis inclinant atque propendent.

Cap. 8.

ὀνομαζομένης legendum potius quàm νομιζομένης.

RELIQVVM eſt vt de ea quæ respublica* nominatur, & de tyrannide diſſeramus. Hoc ordine collocauimus hanc deuiam rempublicã, & quas paulo ante diximus ariſtocratias, quum antea nõ ſic inſtructæ atq; digeſtæ fuiſſent. Id fecimus propterea quòd reuera deflexerunt omnes ab optima rectiſſimaque republica. Deinceps numerantur vnà cum his, quòd vt initio diximus, ab his ipſæ in peius abierũt. Rationi conſentaneum eſt de tyrannide extremo loco feciſſe mentionem, quoniam iſta minime omnium reſpublica eſt, & de republica nobis ratio tractanda. Diximus quæ fuerit cauſa cur hic à nobis ſeruatus ſit ordo, nunc autem explicanda nobis eſt atque demonſtranda reſpublica. Nam poſteaquã de imperiis paucorum & populi, explicata ſententia eſt, vis illius magis eſt conſpicua. Eſt enim reſpublica (vt breuiter, aperte, minimeque ſubtiliter dicam) oligarchiæ atque democratiæ permiſtio. Nam quæ in democratiam ſunt propenſiores, eas appellare ſolent reſpublicas: quæ ad oligarchiam magis vergunt, ariſtocratias, propterea quòd diſciplina atque nobilitas frequentius comitatur ditiores. Præterea diuites habere videntur illa quorum gratia ius violant homines iniurioſi & iniuſti: ex quo fit vt & honeſtos, & bonos, & nobiles hos appellitent. Quum igitur ariſtocratia

Deeſſe uidetur ἔχειν.

ſtocratia præſtantiam ſummámque authoritatem tribuere velit optimis ciuibus, & affirment improbi imperia paucorum honeſtis boníſque viris potius committi, exiſtimant fieri non poſſe quin ciuitas quæ regitur ab optimatibus, viuat bonis legibus: & quæ malis viuit legibus, non adminiſtretur ab optimatibus: ſed fieri, vt improbis legibus viuat, quæ prauo gubernatur imperio. Porro autem non tum bonis regitur legibus, quum bene latæ ſunt atque conſtitutæ leges, ſi illis non obtemperetur. Illis igitur parêre latis, exiſtimanda eſt vna ratio bene habentium legum: altera, earum præclara inſtitutio, quarum ſtatur imperio. Licet enim parêre male habentibus. Hoc autem duobus modis fieri poteſt vt legibus pareatur. Aut enim paretur optimis non ſimpliciter & abſolute, ſed in hoc aut in illud rei publicæ genus optime quadrantibus, aut ſimpliciter optimis. Ariſtocratia autem maxime eſſe tum videtur, quum pro modo virtutis honores magiſtratúſque partiuntur. Ariſtocratiæ quidem certe finis eſt virtus, oligarchiæ vero diuitiæ, popularis autem imperii libertas. Id autem quod placuerit pluribus, primæ poteſtatis eſt in omni republica. Etenim in oligarchia, & in ariſtocratia, atque in democratia primas habet id quod maiori placuit eorum parti qui ſunt reipublicæ participes. In ciuitatibus igitur permultis vna reipublicæ ſpecies nominatur. Nam ſola permixtio locupletes ac egentes, opes atque libertatem intuetur pe-

titque. Apud omnes fere populos,diuites honestorum bonorúmque tenere locum videntur. Quum vero tria sint quæ de æqualitate reipublicæ contendunt,libertas, diuitiæ,virtus,(nam quartum quæ nobilitas vocatur, duo comitatur, nobilitas enim generis, opulentia vetus est atque virtus) perspicuum est duorum permixtionem locupletum & egentium,rempublicam esse dicendam,trium vero aristocratiã,nõ illam verã ac primam,sed generis huius vnã. Esse igitur alias reipublicę species præter monarchiam democratiamq; ostendimus,planumq; fecimus quales essent,quidq; differrent inter se aristocratiæ & respublicæ quæ nonnihil inclinãt in optimorum statum,& quàm breui interuallo spacioque distarent.

Ca.9. HIS sermone pertractatis,ex ordine dicamus quo pacto præter democratiam & oligarchiam gignitur illa quæ respublica vocatur, quibúsque rationibus constitui debet. Eodem porro sermone planum fiet quibus democratiam & oligarchiam rebus definiunt. Sumenda sunt harum discrimina,deinde ex vtraque illarum,differentiæ non aliter quàm symbolum id est particulæ contributæ, capiendæ sunt, atque componendæ. Sunt autem modi tres rationesque componendi atque miscendi. Sumenda sunt enim primùm vtraque discrimina, de quibus ab vtraque republica sancita lex est,vt de iudicando. Nam in dominationibus paucorum mulctam diuitibus nisi iudicent irrogant,pauperibus autem nullam constituunt mercedem. In imperiis popularibus mercedem

egentibus

egentibus certam, mulctam opulentis nullam decernunt. Hæc vtraq; commune quiddam eſt ac medium inter illa genera, ideóque ad eam quam vocant remp. pertinet. Ex ambobus enim mixtum eſt ac temperatum. Hic igitur vnus eſt coniugationis modus. Alius eſt quum medium tenetur inter ea quę ſtatuunt vtrique & diuites & plebeii, cuiuſmodi ius concionis. hi quidem à nullo cenſu aut proſus exiguo, illi vero à copioſo veniunt eò poteſtatis. Neutrum certe quidē commune, ſed medium quiddam inter vtrunq; cenſum. Tertium genus eſt ex duobus inſtitutis, quum pars à lege diuitum paucorum, pars à plebiſcito ſumitur. verbi gratia, populare cenſetur ſorte creari magiſtratus, & à nullo cenſu: hoc vero imperii paucorum videtur eſſe, legi magiſtratus, & ab aliquo cenſu. Eſt igitur ſtatus optimorum, atq; reip. ex vtraque republica capere vtrunque, ex oligarchia magiſtratuum delectum, ex democratia nullam cenſus authoritatē. hic igitur permiſcendi modus. Modus eſt autem atque perfecta ratio bene mixtæ democratiæ ac oligarchię, cū dici poteſt vnam eandemq; remp. eſſe democratiā oligarchiamq;. Haud dubiè qui id dicūt, hoc animo ſunt affecti propterea, quòd hæ bene mixtæ ſunt ac tēperatæ. Eodē modo eſt affectū mediū, quādoquidē in illo vtrunq; videtur extremorū: id quod reip. Lacedæmoniorum accidit, de qua multi perinde quaſi democratia ſit, dicere conantur, quoniā multa ſunt in ea populariter inſtituta, vt illud primum de alenda pueritia. Non aliter enim diuitum quàm pau-

perũm liberi nutriuntur, & erudiũtur eo modo quo possint & pauperum liberi. Nec aliter fit in ætate proxima, nec aliter quum facti sunt viri. Est enim cõspicuus diues & pauper. Sic & alimenta sunt omnibus eadem in sodalitatibus. Et talem sibi vestem diuites parant, qualem pauper, quisquis est, sibi parare possit. Præterea ex duobus illorum magistratibus summis alterum plebeii legunt, alterum obtinent. Senatores legunt, tribunatum quem vocant ἐφόρειαν obtinẽt. Alii dicunt eam Lacedæmoniorum rempublicam statum esse paucorum, propterea quòd multa sunt in illa quæ ad oligarchiam spectant, vt magistratus omneis non sorte sed delectu creari, & paucis esse potestatẽ mortis & exilii, & alia huiusmodi multa. Oportet enim in republica bene mixta ac temperata vtrunq; & neutrum videri, & sua ipsius virtute non externa ope, suis viribus suáque constitutione, non exterorum plurium volũtate seruari, (hoc enim præsidio & improba respublica stare potest) sed nec vllam aliam velle rempublicam, nec alias prorsus ciuitatis particulas hæc de qua loquimur, debet. Quo pacto rempublicam statuere oportet, & item quas nominant aristocratias, iam diximus.

Ca. 10. RELIQVVM est vt de tyrannide dicamus, non quòd de illa sermo sit producendus, sed vt capiat in hac doctrina viæ rationisque partem, quandoquidem & hanc facimus rerumpublicarum partem. De regia potestate nostram disputationibus primis ostendimus sententiam, in quibus maxime inspeximus

mus id quod regnum dicitur, vtrum inutile an vtile ciuitatibus, & quod, & vnde, & quo pacto constitui debet. Tyrannidis autem species duas distinximus, in quibus regiam potestatem spectabamus, propterea quòd earum potestas, & regia, quodammodo vicinæ sunt atque confines, & altera in alteram facilè transit. nam lege creatur hic vterque magistratus. Etenim barbari quidam legunt vnicum omnium principem, cui imperium merum est, plenáque potestas. & olim apud veteres Græcos hoc modo quidã μονάρχοι quos æsymnetas vocabant, præficiebantur. Sed hæc imperia nonnihil differunt inter se. Erant enim regia, quia lege habebantur, & voluntarios singulariter regebant: tyrannica vero, quòd ciues pro seruis haberét, & omnia pro arbitrio constituerent. Est quoque tertia species tyrannidis, quæ maxime videtur tyrannis esse, & regiæ potestati quasi ex altera parte respódet. Huiusmodi tyrannidem esse monarchiam necesse est, quæ suam, non eorum quibus præest, vtilitatem spectans, omnibus & similibus & præstantioribus imperat, nec in ius vocari atque lege corrigi potest: quapropter opprimit inuitos, quia nemo liber volens istiusmodi fert imperiũ. Propter eas igitur quas diximus causas, hac ratione & hoc numero species tyrannidis continentur

QVAE res autem publica sit optima, quódque vitæ genus permultis ciuitatibus mortalibusq; plurimis optimũ, quidã non decernũt ex cóparatione virtutis quæ superat imperitã multitudiné, neq; discipli- Cap. 11.

næ, cui natura ac ingenio & fœlici copia rerum fortuitarum eſt opus: neque reipublicæ, quæ habetur ex animi ſententia, ſed eius vitæ quę permultis communicari poteſt: eiuſque reipublicæ, cuius plurimæ ciuitates participes eſſe poſſunt. Etenim quas vocant ariſtocratias, de quibus modò locuti ſumus, partim multis in ciuitatibus vlteriores ſunt media republica, atq; prouectæ lõgius: partim vicinæ ſunt atque finitimæ illi reip. quæ nomine communi vocatur. De ambabus igitur vti de vna habendus eſt ſermo. Sane de omnibus his iudicare licet ex iiſdem principiis. Nã ſi in libris de moribus recte diximus vitam beatam virtute non impedita conſiſtere, & virtutem eſſe mediocritatem, neceſſe eſt optimam eſſe vitam mediocrem, ſi mediocritatis eſt eius quam aſſequi nemo nõ poteſt: atque finitiones & rationes eaſdem eſſe reip. quæ ſunt virtutis vitiique ciuitatis, propterea quòd reſpublica vita quædam ciuitatis eſt. In omnibus quidem ciuitatibus tria ſunt genera ciuium: alii peropulenti, alii prorſus inopes, alii tertii, quibus eſt intermedia fortuna. Quoniam igitur ſine controuerſia illud eſt optimum, quod eſt medium, atque modo mediocritatéque temperatum, perſpicuum eſt omnium optimam eſſe mediam rerum fortuitarum poſſeſſionem. Hæc enim rationi velut principi facillime obtemperat. Quod vero ſupra modum pulchrum eſt, aut validũ, aut nobilitate generis clarum, aut diuitiis auctum, & contrà quod ſupra modum inops & egens, aut inualidum, atq; vile & abiectum,

rationem

rationem difficilè proſequitur. Illi quidem ſunt improbi magis, & immani ſcelere præditi, hi vero fraudulenti, & vitiis paruis plus æquo inquinati. Iniuriarum autẽ quædam aperta improbitate, quædam ſubdola malitia afferũtur. Hi præterea minime magiſtratus populi & conſilia curant ac dirigunt. hoc vtrunque perniciofum ciuitatibus. Ad hæc qui bonis fortunæ, viribus, diuitiis, amicis, & aliis huiuſcemodi rebus ſunt potentiores, imperium ferre nec volunt nec ſciunt. Idque ſtatim malum pueri ex educatione domeſtica trahunt. Nam propter mollem delicatámque educationem ne in ſcholis quidem morem gerere ſolent. Qui vero nimia premuntur inopia, humiliores ſunt, & abiectiores. quamobrem non imperare, ſed imperium ſeruile ferre: illi contrà nullum imperium ferre, ſed more dominorum imperare ſciunt. hinc ciuitas non ex liberis, ſed ex ſeruis & dominis, illis quidem inuidentibus, his vero ſpernentibus conſtituitur. Quæ res longiſſime diſtant ab amicitia atque ſocietate ciuili. Eſt enim ad beneuolentiam & amicitiam apta ſocietas. Quamobrem cum inimicis homines ne viæ quidem ſocietatem inire volunt. Etenim ex paribus ſimilibuſque quammaxime conſtare vult ciuitas. Id autem maximè ineſt iis qui medium tenent. Neceſſe eſt igitur eos ex quibus natura ciuitatem conſtare dicimus, optime inſtituere vitam, atque rempublicam adminiſtrare. Et hi maxime ciues in vrbibus manent incolumes. Nec enim quemadmodum pau-

peres, aliena cupiunt ipſi, nec horum facultates alii, vt diuitum pauperes, cupiunt. Et quia nec inſidiis appetuntur, nec moliuntur inſidias, citra periculum diſcriménque viuunt. Quamobrem bene Phocylides, qui in ciuitate mediocritatem tenere vellet, eſt precatus

Mediocribus optima plura.

Perſpicuum eſt igitur optimam eſſe ciuilem ſocietatem, quæ ex mediis ciuibus eſt conflata. Et vſuuenit eas ciuitates bene rem ſuam adminiſtrare, in quibus pars mediocritate moderata, numero multa eſt, ac maxime duas reliquas aut ſaltem alteram vincit. Nam addita quaſi trutinam inclinat & impellit, atque impedimento eſt quo minus in hanc aut in illam exuperantiam medio contrariam torqueatur. Sunt igitur maxime fœlices atque fortunatæ ciuitates, quas adminiſtrant ii quibus ſunt opes mediocres, & ſatis multæ. Vbi enim alii nimium multa, alii vero nihil poſſident: aut extrema popularis imperii colluuies, aut paucorum vis indomita & effrenata, aut tyrannis rem arripit. in cauſa eſt vtraq; à medio ad extrema conuerſio. Etenim ex democratia iuueniliter exultante & temere proruēti, & ex oligarchia naſcitur tyrannis. Ex intermediorū ſtatu, nec ita longe diſſidētium, multo minus. Cauſam poſtea in ſermonibus de rerumpublicarū mutatione dicemus. At mediam remp. cæteras bonitate ſuperare perſpicuū eſt, quoniā ſola tēpeſtate ſeditionū vacat.

Nam

Nam vbi mèdiocritas èſt multa, minimè exoriuntur ſeditiones diſſenſionéſque ciuiles. Et magnæ ciuitates, propterea quòd medium genus hominum frequens habent, ſeditione minus agitantur. In paruis autem facile eſt ciues omneis in duas diuidere partes, ſic vt nihil medium relinquatur. Quippe omnes ferè pauperes ſunt aut diuites. Atque democratiæ, quia mediis ciuibus conſtant, tutiores ſunt quàm oligarchiæ, atque diuturniores. In illis quidem certè plures quàm in his, & illic in diſtribuendis honoribus ratio mediorum magis habetur. Nam quum ſine his, egens & inops plebecula numero ſuperat, malè, infœliciter & temerè rem tractat, nec ita multo poſt ſibi ipſa affert exitium. Quòd autem legumlatores optimi ſunt medii ciues, & inter vtranque fortunam collocati, ſignum & indicium exiſtimandum, optimam eſſe rempublicam quæ ciuibus mediis conſtat. Vnus illorum fuit Solon, quod ipſe ſcriptis carminibus oſtendit. Talis fuit & Lycurgus: non enim rex erat. Talis Charondas, & alii penè omnes. Ex his planum fit quamobrem permultæ respublicæ aut à populari multitudine, aut à paucis diuitibus regantur: nempe quia frequenter id eſt numero paucum, quod in medio conſedit. Qui egrediuntur è medio, vtricunque vincant, ſiue opulenti, ſiue plebeii, nunquam non per ſe ſoli rempublicam verſant. aut igitur multitudo tenuis, aut diuitum paucitas reipublicæ præeſt. Ad hæc quum ſeditiones pugnáſque moueant & tumultuentur diui-

tes & plebeii, siue his, siue illis ex aduerso certantibus contingat victoria, nec communem nec æqualem constituunt rempublicam, sed victoriæ præmium capiunt immoderatam potentiam, nimiámque in rempublicam dominationem: & hi quidem democratiam, illi verò oligarchiam stabiliunt. Præterea qui tenuerunt Græciæ principatum, quum suam respicerent vtrique rempublicam, hi multitudinis, illi paucorum imperium in ciuitatibus constituerūt, non qui animum ad vtilitatem ciuitatum, sed ad suam conuerterent. Itaq; agentibus his causis, aut nunquam, aut raro, & apud paucos media statuitur respublica. Ex iis qui reipublicæ præfuerunt, vir vnus eò adductus est solus, qui hanc reipublicæ formam constitueret præscriberétque. Et iam ciuibus mos est nihil par & æquale velle, sed aut imperium, aut si à potentioribus vincantur, seruitutem quærere. Ex iis quæ diximus, planum factū est quæ sit optima respublica, & quamobrem talis sit existimanda. Ex aliis autem publicis rebus, quandoquidem plures esse populares, plures à paucis occupari dicimus, quæ prima sit collocanda, quæ secunda, & item quæ proxima, quòd alia melior est, alia deterior, posteaquam explicauimus quæ esset optima, non difficile est videre. Necesse est enim quæ ad hanc proximè accedit, esse meliorem: & quæ longiore interuallo à medio summota est, esse peiorem, nisi siquis fortè ex hypothesi iudicet. Hoc ex hypothesi dico, quia sæ-

penumero tametsi alia res est publica melior atque magis expetenda, nihil tamen vetabit aliam quibusdam plus vtilitatis afferre.

PROXIMVS est his quæ diximus, explicandi locus, quæ quibus, & qualis qualibus vtilis sit & accommodata respublica. Sed enim primum tenendum id quod vniuersè de omnibus statuendum est idem. Nam pars illa quæ saluam esse vult rempublicam, potior esse debet, quàm quæ non vult eam stare & manere incolumem. Atque qualitate & quantitate censenda est ciuitas omnis. qualitate, vt libertate, diuitiis, disciplina, ingenuitate: quantitate verò, vt multitudine alterius partis auctiore. Ac fieri potest, vt in altera partium ex quibus ciuitas est constituta, qualitas insit: in altera, quantitas: vt exempli causa nobilibus ignobiles, aut diuitibus pauperes sint numero plures, neque tamen vna tantùm superet alteram quantitate, quantum destituitur qualitate. Hæc igitur inter se comparanda. Ergo vbi pauperum & egentium multitudo vincit ea quam diximus proportione, ibi natura fert vt populare sit imperium, & vnaquæque species popularis imperii pro exuperantia cuiusque plebis: vt si superet numerus agricolarum, prima democratia: si opificum atque mercenariorum, postrema, & aliæ similiter intermediæ. Vbi verò ordo opulentorum nobiliúmque plus exuperat qualitate, quàm destituitur quantitate, Cap. 12.

natura fert, vt ſit illic paucorum ſtatus, & vnaquæque ſpecies illius pro exuperantia multitudinis, quæ talem obtinet principatum. Legumlator autem in conſtituenda republica ſemper medios aſſumere & animo concipere debet. Nam & ſi leges ferat paucorum potentiæ accommodatas, medios proſpicere oportet, atque eò dirigere mentem. Et ſi populares faciat, legibus admouere & adhibere mediocres. Vbi ſuperat aut vtrunque extremum aut alterum tantum multitudo mediorũ, vſuuenit vt ibi respublica firma ſit & immobilis. Non enim timẽdum eſt nequando conſpirent in eos opulenti atque egẽtes. Alteris alteri ſeruire nunquam volent. Quòd ſi rem publicam communiorem pluribúſque commodiorem quærant, non aliam vllam inuenient: nec vnquam animum inducerent vt viciſſim imperarent: proptereáque alteris alteri minimè confidunt. Vbique verò fideliſſimus eſt arbiter. Arbiter autẽ medius. Et quanto melius immixta ac temperata reſpublica, tanto magis ſtabilis eſt atque firma. At multi dum respublicas ab optimatibus regi volunt, peccant, non ſolùm quòd nimium tribuunt diuitibus, verumetiam quòd circunueniunt decipiúntque plebem. Nam ex fallacibus bonis accidere verum malum tandem neceſſe eſt. Etenim diuitum cupiditas immodica plus habẽdi, rempublicam magis euertit quàm vitium plebis æquo maiora cupientis.

Cap. 13. SVNT autem publicis in rebus quinq; res numero, in quibus prætexendæ cauſæ gratia potentiores

tiores dolosè & malitiosè agũt cum plebe, in comitio & cócione, in magistratibus, in iudiciis, in armorum tractatione, in exercitatione corporum. In cócione hanc adornant fraudem, omnibus esse comitiorum potestatẽ, sed diuitibus nisi venerint in concionem, irrogari mulctã aut solis, aut multo maiorem quàm pauperibus. In magistratibus sic eludũt, iis quibus est census, non licere magistratum eiurare atq; recusare, pauperibus licere: & in iudiciis, diuitibus irrogari pœnam, nisi iudicent, pauperibus esse impunitatẽ: aut illis magnam, his paruam esse mulctam, vt Charondæ legibus sancitum est. Est etiã vbi licet omnibus qui nomina sunt professi, suffragium ferre & iudicare. quòd si nominibus datis nec veniant in concionem, nec iudicent, his magnæ irrogantur mulctæ, vt metu damni fugiant professionem, & quia non sint professi, iure cócionis iudiciorúmque priuentur. Eodem modo leges ferũt & de armis habendis, & de corporibus exercendis. Pauperibus licet arma non habere, mulctantur diuites si non habent. Et si non exerceantur in cãpo, impunè ferunt pauperes, dant pœnam diuites: vt hi timore mulctæ gymnasium & arma obtineant, illi quia non id verentur, ne habeant. Hæc sunt igitur commenta fraudis quæ in ferendis legibus potentiores regni cupiditate inducti excogitant. Quibus in ciuitatibus principatum obtinet multitudo, in eiusmodi præstigias plebeii fraudem moliuntur. Nam tenuibus quando concionibus adsunt, & iudicant, mer-

cedem tribuunt, opulentis nullam irrogant mulctam. Perſpicuum eſt igitur, ſiquis eſt qui rempublicam iuſtè miſcere atque temperare velit, oportere eum cogere & conciliare quæ ſancita ſunt legibus vtrorumque, & his dare mercedem, & illis irrogare mulctã. Hoc modo omnes eſſent concionũ iudiciorúmq; participes: at illo alteri tantũ republica fruũtur. Neceſſe eſt porrò ex his ſolùm rempublicã confirmari, quibus eſt armorum facultas. Quanta verò debeat eſſe multitudo eorũ qui ex cenſu rempublicam capeſſunt, neq; definiri ſimpliciter, neq; dici poteſt, ſed ad rem pertinet ſpectare qualitatem, & maximum numerũ præſcribere, vt ii quibus patet aditus ad rempublicam, ſint plures quàm qui carent honoribus & luce reipublicæ. Nam tenues & honoribus excluſi quieſcere, nullamq; ſeditionem mouere volunt, ſi nemo afferat illis iniuriã, nemo quicquã eripiat fortunarum. Id autem facile non eſt, quia non ſemper accidit, vt ii penes quos eſt reipublicę adminiſtratio, boni ſint, atque plebeculę accepti. & quum bellum eſt, ſi pauperes ſint, nec alimentum capiant, cunctari atq; ceſſare ſolent. Quòd ſiquis alimentum miniſtret, bellũ inferre volunt. Sunt apud quos res publica non ex iis eſt modò qui arma geſtant, verũ etiam ex iis qui aliquando geſtarũt. Ex his erat Malienſiũ reſpublica, qui magiſtratus ex ordine militãtium legebant. Et apud Græcos quæ regũ principatus ſecuta eſt prima reſpublica, ex illis eſt conſtituta qui bellũ gerebant: & illa quidem primũ ex equiti-

bus

bus: propterea quòd belli robur & præstãtia in equitibus esset. Nam si deest ordinũ descriptio, nullis est vsibus armorũ tractatio. Et eiusmodi peritia ac instituto veteres carebant. Itaque in equitatu stabilimen erat & firmitudo belli. At vbi ciuitates increuerũt, & milites plus virium conceperunt, tum plures fuere participes reipublicæ. Quare priores quas modò respublicas vocamus, eas rectiones populares nominabant. Atq; imperia & respublicas obtinebant aut pauci potentes, aut reges: nec iniuria, quia quum essent homines pauci, non ita multus mediorum numerus inueniebatur. Quòd igitur mediocres essent numero pauci, & in paruam classem descripti, facilius patiebãtur imperium. Cur ergo plures sint species rerumpublicarũ, & quamobrem pręter eas quę dictæ fuerãt, aliæ reperiãtur (nec enim popularis imperii, nec aliorũ statuum species est vna) deinde quæ differentiæ intercedãt, & quid sit in causa cur istud accidat: præterea quæ (vt persæpe dicitur) sit optima rerumpublicarum, & ex aliis quæ quibus congruat, à nobis est explicatum.

DE singulis rursum vniuersè atq; singulatim disseramus, & ad ea quæ sequuntur aptum sumamus exordium. Omniũ rerumpublicarũ particulæ sunt tres, quarum bono legislatori est habenda ratio, vt quid cuiq; vtile & cõmodũ sit perspiciat: quæ si bene descriptæ sanæq; sunt, remp. bene habere est necesse, & pro singularum differentia respublicas variare, & alias esse. Ex his tribus vna in publicis cõsi- Cap. 14.

liis versatur, altera in magistratibus, hoc est qui constitui, & quarum rerum potestatem habere, & quo genere legendi creari debeāt, curat. Tertia ius dicit. Quæ pars consilia tractat, habet potestatē decernēdi de bello & pace, & auxilio belli, & fœdere, de legibus, de nece, de exilio, de publicatione bonorū, de rationibus reposcendis. Atque necesse est has omneis sententias aut omnibus ciuibus dicēdas permitti, aut omneis quibusdā, vt alicui vni magistratui, aut alias pluribus quàm alias, aut omnibus quasdam, & nonnullas quibusdā. Omneis igitur ciues decernere de rebus omnibus populare est, quoniā plebs hāc petit æqualitatem. Sūt autem modi plures quibus omnes de omnibus decernunt. Vnus est, quum singulatim sentētiam dicunt, non omnes in vnū coacti, vt in re publica Teleclis Milesii, atq; in aliis ciuitatibus, consultant coacti magistratus, ad quos eunt omnes singulatim, ex omni tribu atque minimis ordinibus & collegiis, sic vt nemo prętereatur: solúmq; coeunt de legibus ferendis, & de negociis publicis, & quæ à magistratibus referuntur audituri. Alius est modus quum sentētiam dicūt omnes, sed solùm coeunt ad creandos magistratus, ad leges ferendas de bello & pace, de rationibus reposcēdis: de cæteris magistratus ex omnibus aut suffragio aut sorte lecti, & singulis negociis præfecti, sententiam ferunt. Alius quoq; modus, quū ciues coguntur de magistratibus, de rationibus honoris gesti, de bello & copiis auxiliariis consiliū capturi. alia magistratus, quos delectu creari

Legendum uidetur, ἢ πλείοσιν ἑτέρας, ἢ ἑτέρας.

contingit,

contingit, administrant: hi sunt quos gerere viros peritia atq; sciētia præditos est necesse. Quartus est modus, quum de omnibus omnes coacti deliberant, magistratus autem nulla de re statuunt, sed tātùm primo loco sententiam dicunt, quem postrema democratia nūc exercet modum, quam paucorum imperiosæ dominationi, & tyrānicæ monarchiæ quasi ex altera parte respōdere dicimus. Omnes igitur hi modi ad imperium populare pertinent. Quum verò de omnibus quidam statuunt, dominationis est paucorum, habetq; genus hoc differētias plures. Nā quum leguntur à cēsu temperatiore, pluresq; propter census mediocritatē eò dignitatis perueniunt, nec quæ lex vetat, mouent, at sequuntur, ac licet habenti censum honore publico frui, dominatio paucorum est quidē, ciuilis tamē illa, propterea quòd mediocritatem seruat. Quum verò non omnes sunt cōsilii participes, sed electi, & imperant ex lege sicuti priores, dominationis est paucorum. At quum se ipsi legunt ii quibus est consilii potestas, quúmq; filius in locum patris succedit, atque ab eis leges reguntur, hanc cōstitutionem ad imperium paucorū pertinere est necesse. Sed quum genera rerum aliis alia tribuuntur, vt quum de bello & pace, & rationibus reposcendis omnes sententiam dicunt, de reliquis autem magistratus, & hi vel suffragio vel sorte lecti, status est optimorum, vel ea quæ nomine generis resp. nominatur. Quòd si de quibusdam sententiam dicūt magistratus suffragio lecti, de quibusdā sortitione crea-

ti, creati inquam aut ſimpliciter, aut ex iis quorum habita eſt ratio in eligendis magiſtratibus, aut communiter lecti & ſorte ducti, partim iſtorum ad optimorum ſtatũ, partim ad ipſam remp. pertinent. Hoc igitur modo pro rerumpublicarum cõſtitutione diuiſi ſunt atque diſtincti qui conſilia tractant: & adminiſtrantur ſingulæ ex ea quam diximus diſtributione. Vtile eſt autem rectioni, quæ nunc eſſe maxime democratia videtur, (eam dico quę populo ad decernendum & melius aliquid ſtatuendum dat etiam legum poteſtatem) vtile inquã id quod in iudiciis ſeruatur ab iis qui pauci cenſu potentes obtinent principatum. iis enim quos ius dicere volunt, mulctam irrogant, vt iudicent: plebeii mercedem pauperibus attribuunt. Et id quidem in concionibus facere prodeſt propterea, quòd ſi cõmuniter omnes adhibeantur in cõſilium, plebeii cum illuſtribus, illuſtres cum vulgo, rectius meliúſque decernent. Prodeſt quoq; eos quibus eſt conſiliorum poteſtas, æque ex partibus ciuitatis aut deligi, aut ſorte duci. Nec eſt inutile, ſi multo maior eſt numerus plebis quàm principum ciuitatis, aut non omnibus dare mercedem, ſed quot æquato numero nobilibus reſpondebunt: aut ſorte reiicere plures à conſilio. Vbi pauci ditiores præſunt, vtile eſt aliquot è plebe antequam res ſtatuatur eligere, & in conſilium adhibere: aut conſtituere magiſtratum, qualis eſt in quibuſdam ciuitatibus (προβούλους vocant, & νομοφύλακας, id eſt viros cõſultos qui antè de rebus ſententiam ferunt, quàm deferantur ad

plebem

plebem vt ſit author,& integritatē legum ſeruant.) Et ea in concione agitare, de quibus illi prius in curia ſtatuerunt. Hoc modo plebs erit conſilii particeps,nec abrogare poterit inſtituta reip.Iā plebs quę ad ſe relata fuerint, aut ſciſcet ac iubebit, aut nihil ſententiæ delatæ contrarium plebiſcito firmabit:aut omnes in conſilium admittere, decernendi poteſtatem magiſtratibus dare conducit. Et populus aliter facere debet atque fit in ciuitatibus. Nam quum aliquid faciundum cenſet,& eò ſuffragia fert, ne ſummam habeat poteſtatem, ſed plebiſcita rurſum reiiciantur ad magiſtratus.Hoc inuertūt ciuitates. Etenim pauci quum quid non eſſe ſtatuēdum cenſent, primæ ſunt authoritatis. quum vero ſtatuēdum eſſe exiſtimant,non vtūtur ſumma poteſtate, ſed decretum ſemper reiicitur ac refertur ad multitudinem. Hoc igitur modo de parte ciuitatis quæ conſilia tractat,& quæ primam habet in republica poteſtatem, explicata eſt noſtra ſententia.

PROXIMVS eſt locus diſtinguendis magi- Cap. 15.
ſtratuum differentiis. Nam & huic particulæ reip. multæ ſunt differētiæ, quot debeāt eſſe magiſtratus, & quam habere poteſtatē,& quantum cuiq; tempus definiendū(ſunt enim qui in ſex menſes, qui in breuius tempus,qui in annum,qui in longius prorogāt imperium) debeánt ne eſſe perpetui, an diuturni,an neque perpetui neque diuturni, ſæpéne iidem viri præficiendi,an non iterum idem, at ſemel tantum. Præterea ex quibus, & à quibus & quomodo ſint

creandi.debet enim facultas omnium iſtorum ſuppetere viro qui ciuilem ſcientiam tractat, vt omnia diſtinguat, quótque modis ſtatuantur oſtendat, deinde aptet, & explicet cuiuſmodi magiſtratus ſingulæ ſpecies rerumpublicarum deſiderent. Nec iſtud explicare promptũ eſt, qui ſint honores nomine magiſtratus appellãdi, quoniam communio ciuilis multis eget viris qui rebus curãdis præſint. quamobrem nec omneis voce delectos, nec omneis ſortitione ductos magiſtratus cenſere debemus, vt in primis ſacrificulos & ſacerdotes. Hoc quidem munus aliud faciundum atque magiſtratus ciuitatis, deinde qui choro præſunt, & exhibent illum, adde præcones. Legũtur quoque legati. Sunt autem curationes publicæ aut omnium ciuium qui alicui rei gerẽdæ dant operam, vt dux belli curã gerit copiarum ac totius exercitus: aut ad partem ſpectant, vt ea quæ ad mulieres aut pueros inſtituẽdos pertinet. Sunt & œconomicæ. frequẽter enim legũt præfectos annonæ qui frumentum metiantur. Sunt aliæ adminiſtræ & quaſi ſeruiles, quibus opulenti pręficiũt ſeruos. Vt autem rudi ſimpliciq; definitione complectamur, magiſtratus ii maxime dicendi, quibus commiſſa ſunt conſilia & iudicia & imperia: & maxime imperium hoc meretur nomen, quia iubere & imperare res eſt dignior hac appellatione. Sed hæc, vt vere dicam, ad rẽ & vſum nihil pertinẽt, quia nondum ſublata eſt eorum qui ambigunt de nomine, controuerſia. Huic opus eſt alia animi cõmentatione. Satius eſt in quæ-
ſtionem

ſtionẽ adducere quot & quales magiſtratus neceſſario ſtatuẽdi ſint & in omni rep. & in ciuitatibus paruis, & qui neceſſarii quidẽ, ſed non ita magni precii ad inſtituẽdum laudabile reip. genus. Enimuero magnis in ciuitatibus vnũ vni officio munériq; præficere licet ac oportet, quia quũ multi ciues ſint, fieri poteſt vt multi ad remp. accedant. Oportet igitur alios magiſtratus ſemel ab iiſdem geri, alios iterum ac ſæpius, ſed interiecto longo temporis interuallo. Et ſingula melius adminiſtrantur, quũ in vna re cura verſatur, quàm quũ multis negociis implicatur. In paruis ciuitatibus ad paucos viros magiſtratus multos reiicere eſt neceſſe, quia propter hominum paucitatem non eſt facile multos publicis honoribus præeſſe. Nam qui in eorum locum ſufficiẽtur atque ſuccedent? Paruis enim ciuitatibus nonnunquam magiſtratibus ac legibus iiſdem opus eſt, quibus & magnis. Hoc intereſt, paruæ eiſdem ſæpe viris egent, magnis id non niſi longo tempore cõtingit. Quamobrem nihil prohibet curationes multas multaq; munera vnà committere, quia aliud ab alio nõ impeditur, & in hominũ paucitate neceſſe eſt magiſtratus haud aliter ad plures vſus ſtatuere, quàm ὀβελισκολύχνια, id eſt lucernas militares obeliſcis impoſitas. Si dicamus igitur quot omni ciuitati magiſtratus haberi neceſſe eſt, quotque, etſi deeſſe non debent, minime neceſſe, facilè qui iſta norit, coniunget eos quos in vnam cõferre poteſtatem rationi conſentaneum eſt. Cõuenit & hoc animaduertiſſe, cuiuſmodi magiſtra-

tus pro loco multa curare debeát,& quarum rerum ſummam poteſtatem vbiq; magiſtratus vnus habere debeat,vt bene deſcriptæ atq; digeſtę conſtitutionis,ordinis & decẽtiæ,an in foro iudex,& qui ius interpretatur,& alius alio in loco,an idem vbique. Et vtrum rerum,an hominũ diſtribuenda partitio:verbi gratia vnúsne præficiendus ſit præſcribendæ ſeruandæq; honeſtati,an alius qui cultũ liberûm & mulierũ curet. Et quod pertinet ad differentiá rerũpublicarũ,an in vnaquaq; differt magiſtratuũ genus,an nullũ diſcrimẽ habet,vt in ſtatu populari, in paucorum dominatione,in optimorũ imperio,in vnius regno,vtrúmne ſunt iidem magiſtratus proprii, nõ ex paribus, non ex ſimilibus, verùm in aliis ciuitatibus diuerſi,vt in iis quæ regũtur ab optimis,lecti ex eruditis & excultis viris: in iis quæ à paucis, ex diuitibus:in iis quæ à populo,ex liberis: an pro differẽtiis iſtis variant magiſtratus?Eſt vbi conueniunt iidem, eſt vbi differunt.hic enim magnos , illic eſſe paruos conuenit eoſdem.Verum etiam quidá proprii ſunt, vt is quem gerunt ii qui antè res tractant in curia, q̃ ad populũ deferantur: non hæc authoritas popularis eſt,ſed publicũ eſt atq; populare conſiliũ. Oportet eiuſmodi curiá eſſe cui negociũ curaq; ſit conſiliis ſuis populo proſpicere, & antè decernere q̃ populus in cõcionẽ vocetur,vt is laboret,& ſuis negociis incumbat.Id autẽ ſi numero ſint pauci,dominationis eſt paucorũ.at neceſſe eſt paucos eſſe numero, qui prius conſilia agitent,q̃ populũ rogent.Hoc igitur

tur dominationis eſt paucorum. Sed vbi hi duo ſunt magiſtratus, qui priores decernunt, conſiliariis anteeunt authoritate. Conſiliarius enim populare quiddam eſt. Qui conſilio populum præuenit, ad oligarchiam ſpectat. Diſſoluitur autem cõſilii virtus in eo ſtatu populari, in quo populus coit, ac de omnibus rebus ſtatuit. quod vſuuenire ſolet quũ proponitur quæſtus aut merces iis qui venerint in concionem. Nam ſeſe dant ocio, & ſubinde in comitia veniunt, atq; de omnibus ipſi iudicium & ſententiã ferũt. Qui vero pręfectus eſt pueris lege formãdis, quiq; mulieribus, & ſiquis eſt alius magiſtratus cui curationis eiuſmodi ſit poteſtas, ad optimorum non populi ſtatum ſpectat. Nam quî fiet vt pauperum vxores exire prohibeantur? Nec iſtud ad imperiũ paucorũ pertinet, quoniam vxores illorũ deliciis atque voluptatibus diffluunt. Sed de his non plura dicam in præſentia. De conſtituendis magiſtratibus via ratioque diſputationis ab initio tentanda. Definiti ſunt tres modi in quibus conſtitutæ differentiæ, qui ſi componuntur, modos omneis comprehendi neceſſe eſt. Ex his tribus vnus eſt, qui ſint ii qui conſtituant magiſtratus. alter, ex quibus ſtatuãt. reliquus, quomodo. Horum cuiuſq; tres ſunt differẽtiæ. Aut enim cõſtituunt illos ciues omnes, aut ciuiũ pars. Et aut ex omnibus, aut ex quibuſdã certis atque definitis, vt aut cẽſu, aut genere, aut virtute, aut generis eius alia re, vt apud Megarẽſes ex iis qui coierũt ſocietatẽ, & bellũ gerentibus auxiliũ tulerũt: & hæc aut delectu, aut

ſortitione. Hæc rurſus bina ponuntur, alios magiſtratus à ciuiũ parte, alios ab omnibus creari, & alios ex omnibus, alios ex certis quibuſdam, & alios delectu, alios ſortitione. Horúmque ſingulæ differentiæ quaternos efficiũt modos. Aut enim creãtur omnes ex omnibus ſuffragio, aut omnes ex omnibus ſortitione. Et ſi creantur ex omnibus, aut id fit quaſi ſigillatim vt per tribus, per vicos, per tribuum partes quæ φρατρίαι vocãtur, donec itum ſit per omneis qui rẽp. adminiſtrare poſſunt: aut vniuerſe, & quotieſcunque creantur ex omnibus, ac partim ſuffragio, partim ſortitione. Rurſum ſi non omnes, at quidam creant magiſtratus, aut id faciunt ex omnibus delectu, aut ex omnibus ſorte, aut ex quibuſdam electione, aut ex quibuſdã ductis ſortibus, aut partim hoc, partim illo modo, hoc eſt, partim electione, partim ſortitione. Ex duabus igitur coniugationibus duodecim modi fiũt ſeparatim. Ex his duo genera creãdi popularia ſunt, & ad democratiam pertinẽt, quũ magiſtratus omnes ex omnibus ſuffragio aut ſorte, aut vtroq; modo, hi ſortitione, illi delectu creantur. Quum vero non omnes vnà, ſed ex omnibus aut ex quibuſdam vel ſortitione vel electione, vel vtroque modo, aut quum ex omnibus hi, ex parte illi vtroq; modo, id eſt, hi ſortitione, illi delectu creantur, hoc ad eam quam vocant remp. pertinet. Quod ſi quidã ex omnibus, aut electione, aut ſortitione, aut vtroq; modo, hi ſuffragio, illi ſorte ſtatuuntur, iſtud eſt eius reip. quæ oligarchia nominatur. Et ſi vtroq; modo,

Hic deprauata ſunt græca.

verior

verior eſt dominatio paucorum. Si vero ex omnibus hi,ex parte illi, aut ſi partim illorum ſuffragio, partim ſortitione ad rempublicam vocantur, eius eſt ſtatus qui ad optimorum imperium tendit. Quum autem quidam creantur ex quibuſdam, dominationis eſt paucorum,ſiue id ſorte fiat, ſiue altero genere creandi,ſiue vtroque modo. At quum ex omnibus præficiuntur quidam, aut ex aliquo genere ciuium magiſtratus omnes electione conſtituũtur,ſtatus eſt optimorum. Tot igitur numero ſunt in magiſtratibus modi, pro rerumpublicarum varietatibus hoc modo diſtributi. Verùm quæ quibus magiſtratuum genera ſint vtilia, aut quo pacto vnà cum poteſtatibus quas accipiunt,debeant ordinari, & qui ſint, planum poſtea fiet. Poteſtatem magiſtratuum dico, qualis eſt vectigalium & præſidii cuſtodiæque princeps. Nam poteſtatis eſt alia ſpecies, vt quæ in exercitu, & in pactis conuentis forenſibus principatum obtinet.

EX tribus reipublicæ partibus explicanda reſtat ea quæ in iudiciis verſatur. Sumendi ſunt autem illorum modi ex eadem propoſita diſtributione. Tribus enim modis iudiciorum differentia continetur: Ex quibus ordinibus,quibus de rebus, quomodo iudices legãtur, videndum. Ex quibus,verbi gratia vtrúmne ex omnibus, an ex certis quibuſdam. De quibus rebus, vt quot ſint iudiciorum ſpecies. Quomodo,delectú ne, an ſortitione. Statuatur initio diuiſio, quàm multæ ſint iudiciorũ formæ. Sunt Cap. 16.

autem numero octo. Vna verſatur in repoſcẽdis rationibus vitæ, & honoris geſti. Altera in cognoſcendis publicis iniuriis. Alia in iis quæ ad rempublicam pertinent. Quarta & magiſtratibus & hominibus priuatis dirimit controuerſias in quibus de damno agitur ac mulcta. Quinta de pactis commerciiſque priuatis quæ tanti ſunt momenti, vt in iudicium veniant, ac præterea de cæde & hoſpitio peregrinorum iudicat. Et ſpecies quidem cædis, quum in iudices vel in alios de cædibus conſultò factis quæritur, & quum de homicidiis non voluntariis, & quum de iis quæ fatetur quidẽ reus, ſed de iure contendit. Eſt etiam quarta ſpecies, quotieſcunque rei cædis haud voluntariæ, reuocantur in iudiciũ de facinore ſponte commiſſo, vt dicitur Athenis illud ἐν Φρειάτου iudicium, quum reus de nauicula mari impoſita cauſam dicit. Huiuſmodi iudicia ſunt rara etiam magnis in ciuitatibus. Quod ad peregrinorum iudicium pertinet, aliud eſt quum hoſpites cum hoſpitibus, aliud quum hoſpites cum ciuibus litigant. Iam præter hæc omnia iudicium exercetur de leuibus pactis, vt quæ drachmæ ſunt vnius, aut quinque, aut paulo pluris. Nam & de iſtis ius eſt dicendum, nec id cauſæ genus incidit in iudicum multitudinem. Sed & has controuerſias, & eas in quibus de cæde & peregrinis agitur, omittamus, de ciuilibus loquamur, quę niſi recte componantur, ſeditiones motúſque rerũpublicarum pariunt. Atque neceſſe eſt aut de omnibus à nobis diſtributis omnes iudicare electione vel

Legendũ græce ἐν Φρεάτου. uide Harpocrationem.

ſortitione,

ſortitione, aut de omnibus omneis partim ſortitione partim electione, aut de parte eorundem alios ſorte, alios electione. Hi ſunt igitur numero quatuor modi. Sũt alii totidem particulatim diſtributi. Nam rurſus non omnes, ſed quidam certi de omnibus iudicant electione, aut quidam de omnibus ſorte, aut partim ſorte, partim electione, aut aliquot iudicia fiunt de rebus iiſdem à ſorte ductis & electis. Hi certe quidem modi ſic dicti reſpondent illis quos explicauimus. Eadem præterea bina poſita atque coniugata alios creant modos: verbi cauſa, quum alia iudicia dantur à iudicibus lectis ex omnibus, alia à certis quibuſdam, alia ab vtriſque: vt ſi in eodem iudicio ſint alii ex omnibus, alii ex parte lecti, & aut ſortitione, aut delectu, aut vtroque modo. Quot modis igitur iudicia contineri queant, verbis eſt explicatum. Ex his prima ad imperium populare pertinent, quæ iudices habent lectos ex omnibus, aut qui iudicant omnibus de rebus. Secunda ſunt imperii paucorum, quibus viri ex paucis quibuſdam lecti, qui omnibus de rebus iudicant, præſunt. Tertia ad optimorum ciuilémque ſtatum pertinent, in quibus alii ex omnibus, alii ex parte lecti dirimunt controuerſias.

ARISTOTELIS POLITICON

Liber quintus.

Cap. I.



E rebus aliis propè omnibus de quibus agere decreuimus, exposita est nostra sententia. Ex quibus autem causis, & quot, & qualibus, rerumpublicarum status immutantur, ac quibus modis singulæ deprauãtur, & quæ quibus commutantur, atque etiam quæ cuique tam publicè quàm priuatim salutaria sunt, quibus deinde rebus maxime seruantur incolumes, deinceps est videndum. Atque principio sumẽdum est initium, multas rerumpublicarum species extitisse, quum omnium consensus esset, ius & æqualitatem ex comparatione proportionéque seruari oportere, & ab ea, sicuti antea dictum est, errore dilaberentur. Orta est enim democratia, quòd qui nonnulla in re pares essent, omnino se pares esse existimarent, Oligarchia vero, quòd qui in aliquo vno impares essent, prorsus impares esse sese putarent. Nam quia fortunis opibusque sunt impares, se prorsus impares esse putant. Deinde qui tanquam pares sunt, æquam omnium partem capere volunt. qui verò tanquam impares sunt, plus habere, & in omnibus superiores esse cupiunt. Impar enim, quod maius est. Omnes igitur aliquo iure nituntur, sed à iuris absoluti veritate deerrant. Ea de causa quum reipublicæ non tantum capiunt vtrique, quantum opinione conceperunt, dissentiunt, & facta seditione tumultuantur.

tuantur. Qui virtute præstant, omnium iustissime seditiones concitare possent, minime tamen concitant. Etenim rationi consentaneum & æquum maxime est, vt hi solum simpliciter & sint & habeantur inæquales. Sunt qui genere præstantes, propter hāc inæqualitatem non idoneos se putant qui paria capessant, (Nam clari natalibus existimantur, quos illustrant virtus diuitiæque maiorum) Hæc igitur, si vera fatemur, principia sunt & fontes vnde seditiones oriuntur atque discordiæ. Quamobrem mutationes iure fiunt, aliquando contra institutam remp. quum ex repub. constituta in aliam traducuntur, vt ex democratia in oligarchiam, aut ex oligarchia in democratiam, aut ex his in rempublicam & optimorum statum, aut è republica & optimorum statu in popularem paucorúmque dominationem. Aliquando non contra institutam rempublicam eunt, sed eandem constitutionem rationémque seruandā esse censent, at instituto suo sic esse volunt, vt paucorum principatum, aut vnius imperium. Præterea fiunt mutationes ex minore in maius, & contrà, vt ex oligarchia statuta in maiorem aut in minorem generis eius potentiam, aut ex populari statu in liberiorem aut liberam minus populi rectionem. Et item in cæteris fieri potest, vt aut augeantur, aut imminuantur. Adde quòd quum reip. pars aliqua mutatur, nonnihil variat institutio, vt quum magistratus aliquis aut constituitur, aut tollitur, vt Lysandrum ferunt contendisse Lacedæmone regi-

bus abrogare imperium: & Pauſaniam regem Ephoris tribunatum. Et Epidamni mutata ex parte reſp. quoniam tribuum principibus, quos vocãt φυλάρχους, adempta conſiliorum poteſtate, curiam conſiliumque ſtatuiſſent. In ἠλιαίαν, hoc eſt in maximum Atheniẽſium iudicium, magiſtratus etiam qui in adminiſtratione reip. verſantur, ire neceſſe eſt quũ ſuffragio calculorum magiſtratus aliquis eò legitur. Nã magiſtratus vnus in hac rep. dominationis eſſe paucorum videbatur. Etenim ex inæqualitate ſuboritur vbique ſeditio. Non enim diſparibus eſt comparatio proportioq́;. Atque adeo perpetuum regis imperium ſi inter pares ſit, æqualitate caret. Omnino quidem diſcordant atque diſſentiunt ciues propterea, quòd æqualitatem quærũt. Eſt autem duplex æquatio. altera numero cõſtat, altera dignitate. Aequatum numero dico, quod multitudine aut magnitudine idem eſt atque par. Aequatũ dignitate, quod ratione par eſt: vt ſi æquabilitatem numeri ſpectes, duo ſuperãtur à tribus, & vnum à duobus. Si rationem, quatuor ſunt duorum, & duo ſunt vnius: quia quatuor in duo atque duo partes æqualeis, duo in vnũ & vnum diuiduntur. Vtrunque enim, pars altera æquabilis. Quum autẽ conſentiant id ſimpliciter eſſe ius, quod eſt æquabile dignitate, nihilominus (vt antea dictum eſt) diſſentiunt, alii quidem quòd ſiqua in re pares ſint, omnino pares eſſe ſe putant. alii quòd ſiqua in re ſint impares, ſeſe dignos exiſtimant qui ex omnibus commodis imparia maioráque capeſſant.

λόγῳ non λέγω ſcribendum.

ſant. Quapropter duo maxime rerumpublicarum genera naſcuntur, vnum populi, alterum paucorum. In paucis reperitur claritas generis & virtus, in multis diuitiæ ac libertas. Nam genere præſtantes & boni viri nuſquam centum: vbique locupletes multi. Simpliciter autem & abſolute iura ſtatuiſſe ex alterutro genere æqualitatis, eſt dementiæ. oſtendit euentus. Nulla quidem huiuſcemodi reſpublica firma ſtabilis & fixa manet: cuius hanc cauſam reperies: Nullo modo fieri poteſt, quin ſi initio quum rei ducitur exordium, peccatum ſit, non aliquod tandem inde prodeat & occurrat incommodum. Oportet igitur æqualitate tum quæ numero, tum quæ dignitate conſtat, vti. Attamen imperium populare tutius & multo pacatius eſt, quàm paucorum principatus, quia in hoc duo ſeditionum genera excitantur: vnum inter paucos potentiores, alterum in plebem: in illo vnũ tantum, aduerſum potentiores. Plebeii inter ſe, quod magnopere dicendum ſit, nullo publico diſſidio contendunt. Quinetiam mediocritate ciuium temperata reſpublica, propius accedit ad popularem ſtatum, quàm ad paucorum principatum, quæ quidem hæc rerumpublicarum genera firma ſecuritate antecedit.

ET quia conſideramus quibus ex cauſis ſeditiones mutationéſque rerumpublicarum ducunt originem, primùm initia ac cauſæ illarum vniuerſe generatímque capiundæ. Sunt autem prope- Cap. 2.

modum, vt ita dicam, tres numero causæ quæ principio summatim per se videntur explicandę. Disputatione consequendum, vt ciues habent se quum in discordiam labuntur, & quibus de rebus: tertio loco quæ sint turbarum ciuilium seditionúmque principia. Enimuero ciues quodammodo affectos esse, & de se opinionem concepisse, in genere statuenda potissimum causa mutationis de qua iam diximus. Alii quoniam æqualitatem cupiunt, si quum pares sint plus habentibus, minus habere se existiment, seditiones mouent. Alii qui inæqualitatem expetũt atque exuperantiam, si non plus habere se, sed par aut minus, quum sint impares, arbitrentur, statum reipublicæ perturbant. Hæc autem licet cupere iure, licet & iniuria. Nam minores vt pares sint, & pares vt maiores fiant, ciuili dissensione tumultuantur. Quo animo affecti ciues discordiam ferunt, verbis ostendimus. Atvero quæstus & honor & hisce contraria sunt ea de quibus seditiose contendunt. Etenim quum ignominiam atque iacturam vel ipsorum vel amicorum fugiunt, contentione distrahuntur in ciuitatibus. Causæ atque principia motionum, vnde non aliter atque propter illa de quibus locuti sumus, afficiuntur ipsi, & ita se comparant, septem numero dici, & plures numerari possunt, quorum duo sunt eadẽ quæ paulò antè diximus, sed in aliam partem cõuersa. Nam lucri & honoris gratia acerbè digladiantur inter se, nõ vt hæc sibi ipsi, quẽadmodum prius est dictũ, comparẽt, sed quia vident alios

alios iure,alios iniuria harum rerũ plus habere.Sunt præterea causæ,improbitas,timor, exuperãtia potestatis, despicientia, incrementum iusta proportione maius.Sunt & aliæ,largitionum corruptela,incuria, paruitas,dissimilitudo.

EX iis improbitas & quæstus quam habeãt vim, quotq; mutationũ causas,omnibus fere perspicuum est.Etenim quum magistratus improbi sunt atq; iniuriosi,& in omnibus superiores esse, & plus habere contendũt, ciues aliter atq; bonũ est ipsis & reip. indulgenti & hanc licẽtiam danti, cõcitantur ac dissident.Atq; nonnunquã rebus ex priuatis, nonnunquam ex publicis immodica habẽdi cupiditas iniicitur. Nec ignotus est honos quas habeat vires, & vt sit discordiæ causa.Nam qui prætereuntur in honoribus,& alios in honorẽ esse vidẽt, nouis rebus student,atq; turbulenter agunt.Id autẽ iniuria fit,siqui pręter dignitatem aut honore donantur,aut abeunt indonati.Iure verò,si cui pro dignitate exhibetur honor. Ab exuperãtia potestatis seditio oboritur, si vel vnus vel plures sint potentiores ea maximè potestate quæ ad ciuitatem & ciuitatis administrationem pertinet.Ex his oriri consueuit aut vnius regnũ, aut nimia dominatio potentiorũ.Quamobrem nõnullis in locis excellẽtiores in annos decem populi suffragio extorres aguntur,vt Argis atq; Athenis. Quanquam satius est ab initio videre, quî fiat ne cæteros tanta potestate superent, quàm tãdem quum eò licentia data peruenerint,mederi. Metu in res nouas Cap.3.

conſpirant & qui iura violarunt, veriti ne dent pœnas: & qui imminẽtem violentiã metuũt, vtpote qui prius anteuertere volũt, quàm patiantur iniuriam: vt Rhodi nobiles aduerſum plebẽ cõiurati coierũt, propterea quòd vocarẽtur in ius, & criminis poſtularentur. Sed & deſpiciẽtia eſt in cauſa cur ciues ſeditione facta res nouas moliantur, vt in ciuitatibus quæ à paucis ditioribus reguntur, quum plures ſint quorũ nulla ratio in publicis muneribus habetur (nã diuites ſe pręſtantiores eſſe putant) vel in ciuitatibus quæ populari imperio conſtant, atq; confuſionẽ perturbationẽmq; rerum & effrenatam licentiam contemnunt, vt Thebis prælio in Oenophytis cõmiſſo, quia malè reſp. adminiſtrabatur, popularis dominatus interiit. Et Megarẽſium democratia exciſa, quia permixta turbulentaq; republica, & negligentia ac immodica libertate diſſoluta, fracti victique fuerant. Atq; Syracuſis ſtatus reip. mutatus antequam Gelo tyrannidem occupaſſet. Rhodi quoque democratia priuſquam oppugnaretur, éxcidit. Eſt & alia cauſa quæ respublicas immutat, incrementũ iuſta proportione maius. Vt enim corpus ex partibus componitur, & æqua proportione debet augeri, vt maneat ſymmetria, id eſt partium moderatio cõcors, quæ ſi abeſt, illud perit, vt ſi pes quatuor cubitis, reliquum corpus digitis octo longum ſit: & interdum ſi non quantitate modò, ſed etiam qualitate vltra modum proportionis augeretur, in animalis ſpecie diuerſi formã figurãq; mutaretur: ſic & ciuitas ex partibus

concreta

concreta est, quarum sæpe aliqua incremento latente prorumpit, vt egentium turba in democratia atq; in republica. Id accidit aliquando fortuitò, vt Tarenti, quũ vicissent Iapyges Tarentinos, multosq; nobiles ex illis non ita multo post bella Medorum interemissent, resp. in democratiã mutata est. Et Argiui, quum ciues eorũ die septimo, hoc est apud eos atro & nefasto, pugnare coacti, à Cleomene Lacedæmonio necati eßẽt, eò necessitatis adacti sunt, vt aliquot accolas seruos suos ad remp. admiserint. Et Athenis quum pugnæ pedestres infœliciter succederent, nobiles ad pauciores redacti, propterea quòd sub bellũ Laconicũ ex delectu militare cogerentur. Hoc quoque ciuitatibus iis quæ populari imperio reguntur, euenit, nec tamen ita sæpe. Nam quum plures ditescunt, atq; facultates augentur, rectiones populares in paucorũ dominationes potentatusq; mutãtur. A largitionũ corruptela citra seditionẽ respublicæ mutantur, vt in Heræa ciuitate. Quòd enim legerẽt eos qui suffragia largitione corrupissent, delectus in sortitionem mutatus est. Mutantur & incuria atq; negligentia, quum ad summos principesq; magistratus accedere sinũt homines qui statum reip. præsentem non amant, vt in Oreo oppido fracta est dominatio paucorum, quia magistratu donatus Heracleodorus ex oligarchia remp. atque democratiam fecit. Adde quòd & propter tenue & paruũ istud euenit. Paruũ dico, quia sæpenumero nõ deprehenditur institutorum ciuitatis immodica traductio, quum paruũ de-

ſpicitur, vt Ambraciæ paruus erat cẽſus, à nullo tandem creati magiſtratus, quaſi parũ aut nihil paruus à nullo differret. Deniq; ſeditionis eſt cauſa diſſimilitudo, & vario hominum genere permixta ac cõfuſa ciuitas, quoad in vnum cõſpirauerit, coalueritq;. Vt enim non ex qualibet multitudine fit ciuitas, ita nec quolibet temporis ſpacio cohæret. Quicunq; igitur adhuc admiſerunt in ciuitatem aut incolas, aut aduenas ex aliis ciuitatibus, pleriq; omnes ſeditionibus agitati, vt Achęi cum Trœzeniis Sybarim tenuerũt, deinde Achæi plures facti, Trœzenios eiecerũt, vnde Sybaritis illatũ vulnus. Et Thuriis immixti Sybaritæ factione turbarunt ciuitatẽ. Nam quum plus q̃ par eſſet, perinde quaſi ex agro ſuo, capere vellent, pulſi eiectiq; ſunt. Et quum Bizantiis inſidias perniciemq; molirentur aduenæ, cognita diripiẽdi volũtate, armorum vi exturbati fuerunt. Antiſſæi quoq; armis eiecerũt profugos & exules Chios, quos in ciuitatem ſuam admiſerãt. Zanclæi verò Samiis receptis, de re ſua deiecti ſunt ipſi. Apolloniatæ qui ad Euxinum pontũ incolunt, quum ex aliis ciuitatibus aduenas introduxiſſent, in ſeditionũ fluctus inciderunt. Amphipolitæ acceptis à Chalcidenſi populo colonis, magna ex parte labefactati exire coacti ſunt. In oligarchia tumultuatur vulgus quaſi iniuria affectum, quia par & ęquale quum ſit, vti prius eſt dictũ, paria nõ percipit. In democratia rebus nouis ſtudẽt nobiles, quia diſpares non plus habent è publico q̃ cæteri. Eſt etiã quum ciuitates in ſeditionẽ erũpunt

propter

propter locum & ſitum, quando natura loci ad vnā ciuitatem apta nō eſt: vt Clazomeniis ii qui Chytrū incolebāt, in eos qui obtinebant inſulā: & Colophonii in Notienſes. Athenis non ſimili ſunt animo, ſed magis populares ſunt ii qui in Pyræo, quàm qui in vrbe ſedes habēt. Vt in bellis riuorum vel minimorum tranſitus, phalāgas id eſt acies inſtructas diuellunt ac ſeparant, ſic omnis diſcrepantia diſſidium facere conſueuit. Maximum fortaſſe diſſidium virtus & vitium, deinde diuitiæ & paupertas, & item aliud alio maius, in quo genere vnum eſt illud, de quo locuti ſumus, diſcrepans & diſcors.

SEDITIONES igitur non de paruis, ſed ex paruis rebus oriuntur. De magnis eſt contētio. Sed & paruæ ſimultates vires acquirunt, quādo ſunt inter eos qui obtinent principatum: id quod olim Syracuſis euênit. Nā quum duo iuuenes qui magiſtratum gerebant, amoris gratia diſcordiā ſeditionemq; mouiſſent, ſtatus reipublicæ commotus eſt. Alter enim quum abeſſet ab vrbe, puerū quem amabat, cōciliauit ſocius eius, ſibiq; fecit audientem. Ille contrà ſocio infenſus ac inimicus, illius vxori perſuaſit vt ad ſe veniret. Hinc illi, quū principes ciuitatis adiungerent, in diſcordiam concitarūt omnes. Itaq; huiuſmodi magiſtratus obſeruādi, atq; eorū qui præſunt, multúmque poſſunt, dirimēda controuerſia. Principio peccatur. Principium (vt eſt in prouerbio) dimidiū totius. Paruum igitur in illo peccatū atq; diſſidium, diſſenſionibus aliarū partium comparatione Cap. 4.

& proportione reſpondet. Nobiliũ ſeditiones prorſus efficiunt vt tota ciuitas vnà capiat detrimẽtum, vt Heſtięa quondam poſt imperia popularia. Quum duo fratres de paternorũ bonorum diuiſione cõtenderent, pauperior, quòd alter rem patris nec recẽſeret nec exhiberet, nec illum theſaurum quem pater inueniſſet, ſibi conciliauit plebem, & auxiliũ petiuit. Alter qui multis opibus valebat, diuites aſciuit. Delphis quũ ex affinitate nata eſſet diſcordia, principiũ fuit omniũ ſeditionũ quę ſunt poſtea ſecutæ. Sponſus enim auguratus aliquid triſte ſecuturũ, quum ad ſponſam veniſſet, abiit, nec duxit vxorẽ. Puellæ propinqui, vtpote qui iniuriã accepiſſe ſe putarent, illi ſacra facienti ſacrilegii crimen obiecerunt, ac deinde vt ſacrilegũ necarunt. Nec prætereũda Mitylene, in qua de virginibus orbis ad quas magna pecunia & opima veniſſet hæreditas, coorta ſeditio, multorum fuit initium malorũ, & eius belli quod in eam ſuſceperunt Athenienſes, in quo Paches Mitylenẽ cepit. Nam quũ Timophanes homo diues duas filias reliquiſſet, & eas Doxãder ambiiſſet, nec accepiſſet filiis ſuis vxores, ſeditionis initium fuit, atq; Athenienſes quibuſcum hoſpitiũ publicè iunxerat, ad bellũ concitauit. Apud Phocẽſes de muliere orbata ac hæreditatibus adaucta, oborta diſſenſio inter Mnaſeam Mneſônis patrẽ, & Euthycratẽ Onomarchi parentem, principium fuit eius belli quod in Phocẽſes de ſacro Delphico Lacedæmonii geſſerunt. Epidamni pactis nuptiis mutata reip. forma. Qui filiam ſuã deſponderat,

ſponderat, quum mulctatus eſſet à ſponſi patre qui & ipſe magiſtratũ adeptus erat, aduocauit eos quibus republica frui non licebat, & vti violatus, reip. ſtatum perturbauit. Mutantur etiã ciuitatum ſtatus & in oligarchiã, & in democratiã, & in rempublicã, propterea quòd aut magiſtratus aliquis, aut aliqua pars ciuitatis fama quæſita hominum ſermone celebrata ſit & adaucta, vt Areopagi conſiliũ, quo tempore Medi atq; Perſæ bellũ Græciæ intulerunt, probatum & celebre factum, voluerunt Athenienſes vt acutiorem, ſeueriorem, fortioremq; redderet rempublicã. Contrà bello nauali imperita multitudo, propterea quòd author fuiſſet in Salamina victoriæ, & eo nomine imperium maris ac ditioné obtinuiſſet, imperio populari vires adauxit, validioremq; democratiam fecit. Et Argiui nobiles, quoniã prælio Mãtineæ commiſſo, ab hoſte Lacedæmonio gloriã magnam reportaſſent, imperium populare frãgere conati. Syracuſis quòd plebs author eſſet victoriæ belli quod in Athenienſes gerebatur, reſpublica in democratiã mutata. Chalcide, quia multitudo viris nobilibus addita tyrannum Phoxum ſuſtulerat, ſtatim imperio potita eſt. Ambraciæ non aliter factũ. Plebs Periandro tyrãno vnà cum his qui tyrãnidem occupare conabãtur, eiecto, ad ſe rempublicam cõuertit. Et (vt vniuerſo genere cõplectamur) id ſcire operæ preciũ eſt, omnes poteſtatis authores & priuatos & magiſtratus, & tribus, & omnem partem ciuitatis, & quamlibet multitudinem, tumultus ciuiles atq; ſedi-

tiones commouêre. Aut enim qui inuident honore præditis, diſcordiam ſerũt priores: aut honore præditi, quia excellentiores ſuperioreſq; ſe putant, nec vti iure pari, nec cæteris æquati quieſcere volunt. Mutantur & reſpublicæ, quum partes earũ quæ videntur eſſe cõtrariȩ, vt diuites & pauperum vulgus, numero adæquantur, atq; tot capita vel facultates in vna quot in altera parte numerãtur, medium verò aut paruum aut nullum prorſus eſt. Nã ſi alterutra partiũ multo prȩſtantior eſt, & ſine vlla dubitatione melior, iam non vult ſe periculo cõmittere. Quãobrem virtute præſtãtes nullam diſſenſionẽ de qua magnopere dicendum ſit, excitant. Sunt enim pauci ſi cum vulgi multitudine comparentur. Generatim in omni republica tum ſeditionum tum mutationum principia ſunt huiuſmodi. Qui ſtatum ciuitatũ mutant: id interdum vi, nonnunquam dolo faciunt. Vi, quum aut ſtatim initio, aut poſtea neceſſitatem imponunt. Etenim dolus eſt duplex. Aliquãdo poſteaquam ciues initio fefellerunt, illorum volũtate rem publicam mutãt. Deinde tãdem vi illis inuitis occupant: vt quo tempore imperarunt Athenis quadringenti viri, populũ deceperũt, quum dicerent regem Perſarum daturũ pecunias ad id bellũ quod in Lacedȩmonios moueretur, & fuco facto rempublicam occupare conati ſunt. Aliquando perſuadent initio mutãdum eſſe ſtatum rerũ, ac poſtea rurſum volentibus iis quos oratione captioſa adduxerunt, imperant. Si igitur ſummatim nõ ſingulatim loquamur,

in omni

in omni reipublicæ genere ex iis quas expoſuimus cauſis accidit vt rerum ſumma conuerteretur.

HINC partitione facta, quid cuiq; reip. formæ accidat, eſt videndum. Sanè imperia popularia maximè immutātur propter improbitatem & iniuſtitiam quorūdam hominum popularium qui gratiam multitudinis aucupantur. Nam quum eos quibus res eſt copioſa, tum priuatim calumniis agitāt, tum publice multitudine concitata, faciunt vt illi ſeditioſe coeant: quia vel inimiciſſimos in vnum cogit metus communis. Idq; multis in ciuitatibus videre licet. Etenim in Coa ciuitate democratia mutata propterea, quòd adulatores extiterunt qui plebē concitarent. Coierūt enim & coniurauerūt nobiles. Rhodi quidā populares homines ſtipendium cogebant, & pecunia confecta vetabant ea ſolui quæ Trierarchis, id eſt triremiū præfectis debebantur. illi vero quòd ipſis creditores impingerēt dicas, ſunt coacti coniuratione facta imperium populare demoliri. Heracleæ quoq; propter factioſos populi duces haud ita multo poſt deductā coloniā imperium populare fractum. Nā ab illis violati nobiles, & è ciuitate exturbati, deinde in vnū coacti, ac vrbē ingreſſi, democratiā ſuſtulerūt. Haud multo ſecus democratia Megarenſis eſt diſſoluta. Duces enim populares, vt bona publicare poſſent, multos illuſtres viros extorres egerūt, adeo vt profugorū multitudo creuerit. Illi aduerſum popularem multitudinem impetu facto, & ea prælio victa, ad paucos imperium tranſtulerunt. Idem paſſa Cumæ democra- Cap. 5.

tia,quam diſſoluit Thraſymachus. Quod ſiquis res aliorũ perquirat,videbit eas hoc fere modo immutari: Aliquando vt gratificẽtur imperitæ multitudini,nobilibus afferunt iniuriã,& ſunt in cauſa cur nouis rebus ſtudeãt,& contra plebẽ coeant atque coniurẽt. aut quia(vt fit legibus agrariis) bonorum poſſeſſiones diuidũt.aut quia fructus vti ſeruientes intercipiunt. Nonnunquã adhibent calumniam,vt diuitũ bona publicare poſſint. Olim quum populi & belli dux idẽ eſſet,democratia tyrãnidi cedebat. Nam permulti fere veterũ tyrannorũ ex iis qui cum vulgo populariter agebant,extiterũt. Cur autẽ id tum fieret, nũc nõ ita fit, cauſa eſt huiuſmodi. Qui gratia valebant apud populum , tum inter ductores ordinum numerabantur. Nondum homines eloquentiæ vires acceperant. Nunc aucta facultate dicendi,qui dicere poſſunt & orare , quò volunt plebeculam ducunt: ſed quia ſunt imperiti rerum bellicarum , non occupant imperium,nec in tyrannidem inuadunt , niſi forte ſicubi id leuiter eſt tentatum. Sæpiuſque ætate maiorum quàm noſtra tyrãni extiterunt, propterea quòd magni magiſtratus quibuſdam committebantur : vt Mileti ἐκ τῆς πρυτανείας,id eſt ex magiſtratu qui claſſibus & decuriis partiebatur, & à ſingulis harum dies aliquot gerebatur , tyrannis eſt facta , quia multarum magnarumque rerum poteſtatem habebat , qui illum magiſtratum gerebat . Præterea quòd tum non ita magnæ eſſent vrbes, ſed in agris plebs ageret , & in opere ruſtico faciundo laboraret , facilius erat

tyrannidem

tyrãnidem occupare. Nam præſides populi quum arma didiciſſent, artemque militarem nouiſſent, tyrannidem occupabant. Et iſtud omnes agebant, quum fide, gratia, authoritate plurimum valerent apud plebem cui ſe probaſſent. Erat autem probatio ductorum popularium, in diuites odium & inimicitiæ: vt Athenis Piſiſtratus egit, in Pediacos ſeditione facta: & Theagenes apud Megarenſes cæſis diuitum pecoribus quę ad fluuium paſcentia interceperat: & Dionyſius quum Daphnæum atque diuites accuſaret, & cum huiuſmodi viris inimicitias gereret: ac vt homo popularis authoritatem gratiamque ſibi quæſiiſſet, à vulgo dignus eſt habitus qui violento imperio potiretur. Atque democratia quæ floruit memoria patrum, in vltimum nouiſſimúmque genus popularis imperii mutatur. Nam vbi magiſtratus non habita ratione cenſus & claſſis, ferente populo ſuffragia, leguntur: qui gratiam vulgi inierunt populares homines imperii cupidi, eò rem perducunt, vt ſumma poteſtas in leges populo plebiſcitíſque tradatur. Vt id ne fiat, aut minus ſæpe fiat, remedium eſt, magiſtratus à tribubus, non ab omni multitudine creari. Omnes igitur popularis imperii mutationes ex his fere cauſis oboriuntur.

IMPERIA paucorum maxime duobus modis ante omnium oculos poſitis mutantur: vno quidem, ſi pauci potentes vulgi multitudinem iniuria lædunt. Quicunque enim tum ſe plebi ducem præbet, ſatis habet virium ad immutandum ſtatum reip. ma- Cap. 6.

xime si quis e numero paucorum qui obtinēt principatum, sit dux, & multitudini præsit, vt in Naxo Lygdamis, qui postea Naxios tyrannide oppressit. Sed & principium seditionis & contentionum oritur ex aliis. Aliquando ab ipsis diuitibus qui nullum gerūt honorem publicum, quum pauci admodum magistratibus fruuntur, oligarchia dissoluitur: quod Massilię, & Istri, & Heracleæ, aliisq; ciuitatibus est factū. Qui nō obtinebant magistratum, commouebant ciuitatem quoad obtinerent primùm maiores natu fratres, deinde rursum minores. Est enim vbi pater & filius nō simul imperant, est vbi maior natu frater ac minor nō eodem tempore gerunt magistratum: nempe vbi ad veram ciuitatis constitutionem magis accedit oligarchia. Istri periit in democratiam mutata, Heracleæ ex paucioribus ad sexcentos viros redacta. Cnidi quoq; mutata, quū inter se nobiles discordassent propterea quòd pauci honore donarentur, & quòd (vt ante dictū est) nec pater filiū simul imperare, nec plures fratres sed maximum natu sinebāt. Plebs dissidentes adorta, atq; ex illustribus viris ducē nacta, impetu facto vicit. Debile enim & infirmū, quod seditione & discordia solutum. Et olim quū Erythris oligarchiā reginæ tenerent, etsi diligenter negocia publica curabant, tamen populus, quòd a paucis imperiū teneri ægre ferret, speciem reip. mutauit. Sed & qui imperant pauci, statum suę reip. mouent propter dissensionem eorum qui multitudinē colunt, atque populares esse volunt. Hæc ratio alliciendæ plebis est duplex.

duplex. vna in paucis illis principibus, quia tametſi pauci admodum ſunt, tamen eſt qui vulgi gratiam quærat, vt vnus trigintauirûm qui Athenienſibus præerant Charicles ſuos collegas firmauit, & adhortatus eſt vt fauorem plebis ambirent. & eodem modo Phrynicus vnus quadringentûm, ſuos. Aut id fit quum multitudinem demulcent ii qui oligarchiam obtinent, vt Lariſſæ πολιτοφύλακες, id eſt ciuium cuſtodes, plebem colebant, quòd ab ea legerentur. Et in omni dominatione paucorum, in qua non leguntur magiſtratus ab iis qui illos gerere poſſunt, ſed ex magnis cenſibus creantur, aut ex iis qui ordine, conſuetudine, amicitia iuncti ſunt, vt ex collegiis & ordinibus ciuitatis: creant autem ii quibus eſt ius armorum, vel populus: quod Abydos ſenſit. Id quoque fit vbi iudices non leguntur ex iis qui rempublicam adminiſtrant, quia principes populares, vt ad ſe iudicia tranſferant, rempublicam mutant, quod Heraclea in Ponto pertulit. Præterea ſi qui ad pauciores oligarchiam trahunt: quoniam qui volunt eſſe iure pari, populum ſibi conciliare, & auxilium implorare coguntur: atque mutantur imperia paucorum, quum patrimonia luxurioſe viuendo dilapidarunt atque decoxerunt. Etenim homines iſti res nouas moliuntur: & aut tyrannidem aggrediuntur ipſi, aut alium ſubornant, vt Hipparinus Dionyſium Syracuſis. Et Amphipoli quidam nomine Cleotimus, qui Chalcidenſes colonos induxit, inductos ſeditioſe in diuites cõcitauit. In Aegina propter

huiuſcemodi cauſam qui negocium nomine Charetis ſuſcepiſſet, mouere ſtatum rerum conatus eſt. Nonnunquam igitur aliquid mouere contendunt. Interdum bona publica furātur, & peculatum committunt. hinc aut hi diſcordiam mouent in eos qui commodo priuantur, aut ſeditionis authores ſunt ii qui pugnant in peculatores: quod Apolloniæ in Ponto accidit. Quod ſi concordia firmatur imperium paucorum, non ſeipſum facilè frangit. indicio eſt ciuitas Pharſalica, in qua pauci, quoniam recte ſeipſis vti ſciunt, multos imperio gubernant. Adde quòd oligarchia diſſoluitur, quum alia priori inducitur. Id fit ſi quum omnis adminiſtratio reipublicæ ad paucos redacta ſit, non tamen omnes illius ordinis viri ſummos magiſtratus capeſſunt: id quod Elidi quondam accidit. Nam quum rerum ſumma regeretur à paucis, ex illis admodum pauci legebantur in Senatum, quòd ſenatores nonaginta perpetui eſſent, & ex potentiſſimis, non aliter atque Lacedæmoniorum ſenatus, legerentur. Fitque conuerſio rerum belli paciſque temporibus: belli quidem, quia dum multitudini non audent ſe credere, aliis vti militibus coguntur. is autem cui exercitum crediderūt, ſæpe tyrannus efficitur, vt Corinthi Timophanes. Quod ſi plures ſint duces, ſibi aſſerunt potentatum. Interdum hoc timore perterriti, quia vti plebe cogūtur, ei reip. partem diſtribuunt. Tempore pacis, quia neutra pars alteri ſe credit, militibus, atque duci, qui intermedius vtrique parti conſulat, rem committūt.

is vero

is vero nonnunquam arripit imperium,& vtriq; ordini ſe pręficit.quod accidit Lariſſę quo tempore Aleuadæ, hoc eſt Lariſſæi quidã genere nobiliſſimi,circa Samum imperium tenebant & Abydi, quum ex ſodalitiorum collegiis crearentur magiſtratus, in quibus vnum fuit Iphiadæ. Oriuntur & ſeditionum tempeſtates ex eo quòd qui oligarchiam obtinẽt,alios alii concutiunt atque vexant,& tumultuoſe affligunt matrimoniorum aut controuerſiarum iudicialium cauſa,quales de re vxoria diſſenſiones antea diximus.& Eretrię Diagoras,quòd expetito coniugio iniuriã accepiſſe videretur,quam tenebant equites oligarchiam,ſuſtulit.Ex iudiciali controuerſia concitatus eſt Heracleę tumultus,& Thebis obiecto adulterii crimine.Iure quidem lis illata,at ſeditioſe pœna cõſtituta,Heracleæ in Eutionem,Thebis in Archiũ. Nam vi armata protraxerunt eos inimici, vt in foro κυφῶνι, id eſt tormento ligneo quo excruciantur ſontes,alligarentur.Multæ etiam paucorum dominationes fractæ,quòd ad domini in ſeruum imperium nimium accederẽt,ciuibus eam ſeruitutem grauiter ferentibus,vt ea quæ Cnidi fuit,& ea quæ Chii.Mutãtur euẽtu quodam & acceſſione reſp. & illa quę nomine generis vocatur,& illæ quę paucorum imperio reguntur, in quibuſcunque à cenſu conſilium iudiciumq; obtinent ciues,atque prò ratione cenſus cæteros capeſſunt honores.Nam ſæpenumero tempus in præſens conſtitutus eſt cenſus,vt paucis in oligarchia, mediocribus in rep.ad ſummam rerum pateat

acceſſus. Quum beneficio pacis, aut alio fœlici ſucceſſu copia rerum abundantiáque facultatum ſuppetit, fit vt eadem bona multo maiore precio cenſeantur: & ita fiunt omnes omnium participes, interdum aditu lento, tardóque motu, adeo vt ne ſentiatur quidem, interdum maturius. Hiſce rebus imperia paucorum in diſcordiam labuntur, atque mutantur. Vt ſummatim dicam, tam populi quàm paucorum imperia labefactantur atque interdum tranſeunt non in contrarios rerum ſtatus, ſed in eos qui ſunt generis eiuſdem: vt quæ lege ſtabant, mutantur in dominationes ſui iuris, & contrà.

Cap. 7. IN optimorum ſtatu diſcordiæ mouentur: in quibus ſunt illæ quæ de eorum qui donantur honoribus, paucitate naſcuntur: id quod diximus eſſe cauſam cur moueantur imperia paucorum. Nam ariſtocratia quodammodo oligarchia videri poteſt, quoniam in vtraque pauci obtinent principatum. non tamen ſunt ea de cauſa pauci, quum videatur optimorū ſtatus eò cōſiſtere, quòd multi ſunt boni. Maximè vero ſeditiones oriri neceſſe eſt, quum multus eſt numerus eorum qui magnam de ſe conceperunt opinionem, & elatis animis magnificè ſenſerunt, perinde quaſi virtute ſimiles eorum qui reipublicæ præſunt, cuiuſmodi erant apud Lacedæmonios ii qui Partheniæ vocabantur. ex ſimilibus quidem nati fuerant. quos vbi res nouas moliri, inſidiarique ſcelere deprehenſo conſtitit, Tarētum coloniam deduxerunt. Aut id fit quum viri quanuis magni, at-

que

que nihilo virtute inferiores iis quibus exhibetur plus honoris, iacent, ac honore priuantur, qualis fu- ἀτιμάζονται. it ſub regibus Lyſander. Aut quum fortis vir & animi excelſi non ſit honorum particeps, vt Cinadon ille qui florente Ageſilao coniuratione facta Spartiatas adoriri voluit. Præterea quum hi nimia laborant inopia, illi ſunt æquo ditiores. Id in bellis maxime fieri ſolet, atque Lacedæmoniis accidit ſub Meſſeniacum bellum. Oſtendit Tyrtæus poëta in carmine quod Eunomia vocatur. Nam bello preſſi & ad inopiam redacti poſtulabant vt ager diuideretur. Fit etiam ſi quis magnus & potens, vltro progredi, maióрque fieri, vt omnibus vnus imperet, velit, vt Lacedæmone Pauſanias, qui bello Medico fuit imperator, & apud Carthaginienſes Hanno. Exoluunturque maximè & reſpublicæ & optimorum ſtatus propterea, quòd in adminiſtratione ius peruertitur, nec obtinetur à multis. Eius mali principium eſt male temperata permiſtio, in republica plebis ac potentiorum, in ariſtocratia virtutis & illorum, ſed illorum maxime duorum, plebis, & potentiorum. Nam quæ vocantur reſpublicæ, necnon ariſtocratiæ, multæ iſta miſcere conantur. Et hoc ariſtocratiæ differunt ab iis quæ reſpublicæ nominantur, & ea de cauſa aliæ minus, aliæ magis ſtabiles & firmæ. Quæ magis deflectunt ad oligarchiam, vocant ariſtocratias: quæ ad vulgus & multitudinem, reſpublicas. Itaque firmiores tutioreſque ſunt aliis iſtæ. Melius enim eſt ac potenti-

us,quod multitudine valet: & qui ſunt iure pari, firmiore vinculo amoris colligantur. Diuites autem atque locupletes ſi reipublicæ ſtatuto præſtantiores habeantur & excellentiores, agere proterue, & improbe lædere volunt, ac in omnibus ſuperiores eſſe. Et omnino in vtram partem adminiſtrandi ratio propẽſior eſt,in eam ſumma rei impellitur, vtriſque ſua commoda augentibus, vt in democratiam reſpublica, in oligarchiã ariſtocratia: aut contrà. Vt in democratiam ariſtocratia,quia qui minus percipiunt fructus, perinde atque iniuria læſi,rem in contrarium circunflectunt. Vt in oligarchiam reſpublica, quia id vnum firmum eſt ac ſtabile, quod pro dignitate adæquatur, & quæ ſua ſunt, obtinet. Thuriis id quod diximus euenit. nam quòd ex cenſu maiore legerentur magiſtratus, res ad minorem cenſum pluresque magiſtratus eſt traducta. ac quoniam totus ager à nobilibus præter legem poſſidebatur,(res enim publica effrenatiore paucorum dominatione premebatur) fiebat vt plus & auare cuperent,& præter æquum obtinerẽt. At plebs exercitata bello,potentior eſt facta,quàm præſidiũ militũ quos ſibi diuites ſtipauerãt cuſtodes, atque vim fecit,quoad illi ceſſerunt agro quicunque eius plus habebant. Iam quoniam ciuitates omnes in quibus optimates obtinent principatum, ferunt dominationem paucorum, hîc nobiles honore & commoditate auctiores,& in omnibus ſuperiores eſſe conſueuerunt, vt Lacedæmone ad

paucos

paucos opes confluunt, & illustribus viris quicquid volunt, facere licet, & cui libuerit, iungi, & auxilium ferre. Ea de causa Locrorum ciuitas contracta cum Dionysio familiaritate, interiit: quod neque in democratia neque in aristocratia bene temperata factum esset. Porro autem status optimorum mutationes, quia paulatim sensimque dissoluitur, maxime latent. quod ante vniuerse generatimque de rebus omnibus publicis est dictum, quandoquidem & parua res est conuersionum causa. Nam quum aliquid eorum quæ rempublicam spectant, sinunt, ac deinde aliud paulo maius, rem minore negocio qui volunt mouent, quoad omnem constitutionem omnemque reipublicę concinnitatem miscuerint. Id accidit reipublicę Thuriorum. Quum lex esset apud eos de ducendis ordinibus annos quinque, iuniores quidam comparata scientia belli, & apud multitudinem præsidiorum parta gloria, spretis iis qui in rebus gerendis versabantur, quòd existimarent eum locum se facilè obtinere posse, hanc primùm legem abrogare conati, vt liceret eosdem perpetuos esse duces, quoniam videbant id populum prompte esse iussurum, ac sibi plebiscito honorem daturum. Augures & magistri curiarum, qui à consilio dando σύμβουλοι nominantur, quòd essent comitiorum principes, initio contradicere cupierunt, deinde consenserunt, quia existimabant ea lege mutata nihil aliud in republica moturos. Postea quum alia quoque

mouerentur, & hi prohibere vellent, nihil proficiebant, ſed omnis conſtitutio reipublicæ conuerſa eſt in ditionem eorum qui nouas res erant aggreſſi. Omnes autem rerumpublicarum ſpecies aliquando ex ſe, aliquando extrinſecus diſſoluuntur, quum reſpublica contraria aut iuxta aut longe quidem ſed potens eſt poſita: quod florente republica Athenienſium & Lacedæmoniorum contigit. Athenienſes enim vbique paucorum dominationem, Lacedæmonii ſtatum popularem auferebant. Quibus ex cauſis reſpublicæ variant, & vnde ſeditiones oriuntur, propè iam explicauimus.

Cap. 8. PROXIMVS eſt locus diſputationi de vnaquaque republica communiter ſeparatimque ſeruanda. Nec dubium eſt, vt hinc ducamus exordium, quin ſi teneamus quibus ex cauſis intereunt reſpublicæ, habeamus & eas quibus ſeruantur incolumes. Nam contrariorum contrariæ ſunt effectiones, & exitio contraria ſalus. Ciuitatibus igitur bene conſtitutis ac temperatis non aliud magis cauendum, quàm ne quid ab inſtituto legum recedatur, atque maxime quod paulatim repit, obſeruandum. Nam mutatio legum pedetentim progrediens haud ſecus latet atque ſumptus qui non cogitur in ſummam, quia falſa argumentatione decipit hominis opinionem atque ſententiã, non aliter atque hęc falſa ratio, Si parua ſingula, parua ſunt omnia. Hoc autem aliquãdo verum, aliquando falſum. Vniuerſum & omnia, non parua res eſt, ſed ex paruis compoſita. Vnũ

igitur

igitur huic principio obiiciendum præſidium. Deinde cauendum ne fides adhibeatur commentis ad fallendam imperitam multitudinem comparatis. Indicantur à rebus, & aperte deteguntur. Diximus antea quæ ſint illa commenta fraudis ac σοφίσματα de quibus loquimur. Videas aliqua non optimatum modò, verumetiam paucorum diuitum imperia manere, non quòd res eorum tutæ ſint atque firmæ, ſed quoniam ii qui obtinent principatum, bene tractant ciues & expertes reipublicæ, & eiuſdem participes. Expertes propterea, quòd eos nulla afficiunt iniuria, atque eximios aliquot viros & inter eos principes admittunt in rempublicam: nec qui ambiunt honorem, per iniuſtitiam priuant honore, nec plebeculæ commodum quæſtumque præripiunt. Participes vero, quia familiariter ſe gerunt in illos, atque populariter. Nã quod ius par in multitudine & democratia populares quærũt, hoc in ſimilibus eſt non cum iuſtitia modò, ſed etiam cum vtilitate coniunctum. Itaque ſi plures in reipublicæ adminiſtratione verſentur, non inutile eſt multas leges eſſe populares, vt non vltra ſex menſes prorogari magiſtratus, quò ſimiles omnes honore frui poſſint. Nam ſimiles qui ſunt, iam perinde ſe habent atque inter ſe homines plebeii: ideóque vt antea diximus, in illis frequenter inſunt nonnulli populares qui gratiam multitudinis aucupantur. Deinde minus cadunt in nimiam dominationem res & paucorum & optimorum, ſi non prorogentur magiſtratus. Non enim tam facile eſt eos perperam

facere,qui breui tempore, quàm qui longo obtinent principatum. Prorogatio longi temporis eſt in cauſa cur ciuitates quæ vel à paucis vel à populo reguntur, tyrannide & iniqua dominatione opprimantur. Aut enim in vtriſque maximi viri in tyrannidem inuadunt, hîc, qui gratiam multitudinis adepti, apud eam plurimum poſſunt: illic, qui potentiam æquo maiorem ſibi compararunt. aut qui ſummos gerunt magiſtratus, ſi diu teneant imperium, regnum affectant. At uero manent incolumes rerum ſtatus, non ſolum quòd longè abſunt à ſua pernicie, & rebus iis vnde perimuntur, ſed interdum quòd finitimæ ſunt periculo, quia timore perterriti, maiorem cuſtodiendæ reipublicæ dant operam. Debent igitur ii qui ſummæ rei curam gerunt, fingere & oſtendere timores, vt ſint quaſi nocturnæ vigiliæ præſidiorũ, quæ rem tuentur: & quod longe abeſt, prope inſtare & imminere fingendum, vt integram non diſſipatam velint ciues rempublicam. Præterea nobilium & illuſtrium virorum contentiones ſeditioneſque etiam legibus coercendæ, & cohibendi qui nondũ contendunt, priuſquã ſuſcipiant inimicitias, & rempublicam turbent, quippe quos, vt malum initio orieñs, deprehendere non ſit cuiuſlibet, ſed hominis ſcientiæ ciuilis periti. Quod attinet ad eam rerum conuerſionem quæ ex oligarchia atque politia fit propter cenſus æſtimationem, quum eodem manente cenſu id accidit, abundante pecunia conducit inſpicere quantus ſit cenſus publicus, & cum tempore

pore præterito comparare. In quibusdam ciuitatibus est annuus, in maioribus tertio aut quarto quôque anno exigitur. Quod si multo maior est & auctior eo qui habitus est in reipublicæ constitutione, aut multis partibus imminutus, legem esse prodest, & singulorum cēsum vel augere, vel minuere. si auctus sit, augere pro ratione multiplicis incrementi. si diminutus, imminuere, atq; leuiorem habere. Quod nisi fiat hoc modo in iis ciuitatibus quę à paucis diuitibus reguntur, & in iis quæ republica proprie dicta constant, hic oligarchia, illic effrenata potentia constituitur. Illo modo si res ibunt, ex republica democratiam, ex oligarchia rempublicam aut democratiam fieri videbis. Rei populari, & imperio paucorum omnique reipublicæ communiter vtile est neminem præter modum sic augere, vt superet aliorum quasi membrorum symmetriam. Enitendum potius paruos ac longo tēporis interuallo separatos honores, quàm statim magnos exhibere, quoniam collabuntur in mores perditos. Nec hominis est cuiusque secundam fortunam ac prosperam ferre. Quod si non erit factum, videndum saltem ne qui cumulatos honores detulerunt, rursus auferant vniuersos: sed hoc faciant accessione leniter increscente. Maximéque curandum sic agere legibus, vti nemo longe superet alios, nec amicorum, nec pecuniarum viribus: alioquin eos ciuitate procul summouere. Quòd autem vel priuati, res nouas moliuntur, constituendus est magistratus, qui speculetur eos qui ali-

ter atque reipublicæ bonum eſt, viuunt, vt imperio populari, ſi democratia eſt: dominationi paucorum, ſi pauci diuites obtinent principatum, ac cæteris item rerumpublicarum formis. Et qui in ciuitate commode, ſuauiter, & ex animi ſententia viuunt, iiſdem cauſis impellentibus obſeruandi. Adhibebitur huic malo remedium, ſi res gerendæ magiſtratúſque partibus contrariis vſque committentur. Contrarios atque oppoſitos eſſe dico bonos viros & æquos, imperitæ multitudini: diuites, pauperibus. Atque elaborandum aut egentium & locupletum numerum immiſcere, aut ſtatu mediocri temperatos adaugere. Hoc quidem certe dirimit eas controuerſias & ſeditiones quæ ex impari iure naſcuntur. In omni republica ſummum eſt, ſic legibus & alio quouis genere adminiſtrandi ſtatum rerum collocaſſe, vt munus publicum gerentibus ne liceat è publico quæſtum facere: quod in paucorum principatu maxime cauendum. Non ita grauiter ferunt quum prohibentur imperare plebeii, verùm etiam quum priuatis rebus vacare licet, gaudent. Quod ſi exiſtiment à magiſtratibus publica furto ſurripi, tum grauiter ferunt vtrunque, & honoribus, & commodis priuari. Vnóque modo vti democratia & ariſtocratia ſimul ſint, fieri poteſt, ſiquis ſanxerit hoc genus inſtituti. Nam fieri poſſet vt & nobilitas, & multitudo vulgaris, id quod vtraque ſibi vellet, obtineret. Omnibus enim licere magiſtratũ gerere, populare eſt:

nobiles

nobiles imperare,ſtatus optimorum. Id erit,ſi nihil lucri percipiatur à magiſtratibus, quia pauperes nolent imperare,propterea quòd nullus inde fiet quæſtus,ſuis rebus operam dare malẽt: diuites, quoniam publicis emolumentis non egent,citra quæſtum poterunt rempublicam adminiſtrare. Hoc modo fiet vt pauperes,quia ſuis rebus operam dabũt, augeantur atque diteſcant:diuites & illuſtres,ne vel infimorum patiantur imperium. Ne igitur furtim publica pecunia auertatur,ante oculos omnium ciuium tradatur,ac in ſingulis tribuum partibus,quæ φρατρίαι nominantur, in ſingulis ordinibus & tribubus antigrapha, id eſt tabulæ cum tabulis collatæ, & obſeruandi cauendíq; gratia à pluribus ſcriptæ,reponantur. Quòd autem nullo ſuo quæſtu rerum ſummam curant magiſtratus,iis qui re bene geſta probati fuerint,lege ſtatuendi ſunt honores. Quæ ciuitates populariter adminiſtrantur, diuitibus parcere debent, & eorum poſſeſſiones non modò non diuidere, ſed ne fructus quidem. id quod nõnullæ ciuitates inſcitè faciunt,& quia non intelligunt,ſe fallunt. Satius eſt(etiamſi velint id facere locupletes)impedimento eſſe quo minus ſumptuoſa quidem munera ſed inutilia exhibeant,vt ne ſuis impenſis choros ludóſve celebrent,aut lampadum certaminibus præſint, & ſi qua ſunt alia generis eiuſdem. Vbi pauci diuites imperant,habenda ratio pauperum,multáque egentibus adhibenda cura,atque partiendi magiſtratus illi vnde quæſtus aliquis fieri poſſit. Et ſiquis diuitum

pauperi fuerit iniurius, in eũ pœnæ ſtatuédę grauiores, quàm ſiquis ipſorũ (plebeios intelligo) fuerit cõtumelioſus. Nec donatione ſed cognatione venire debent hæreditates: nec plures vni, ſed vna tantùm venire. Sic enim magis ęquabũtur facultates, & egẽtium plures efficientur diuites. Vtile eſt & in democratia & in oligarchia tribuere iis qui in minore ſunt reipublicę parte, omnium præterquam ſummorum magiſtratuum parem vel primariã authoritatem: in democratia, diuitibus: in oligarchia, pauperibus. Sũmi quidem magiſtratus ſolis iis in quorũ poteſtate eſt ſumma rerum, aut illorũ pluribus committendi.

Cap. 9. TRIBVS autem rebus præditos eſſe oportet eos qui principes magiſtratus capeſſent, primùm amore in rempublicam conſtitutam, deinde ſumma poteſtate ad obeunda imperii munera, poſt hæc virtute atque iuſtitia, quæ cuiq; reipublicæ generi conueniat: quia ſi non idem ius eſt omnibus in ciuitatibus, neceſſe eſt iuſtitiæ differẽtias eſſe. Quòd ſi nõ hæc omnia in vno & eodem reperiuntur, ambigi poteſt quomodo ſint diuidendi magiſtratus: vt ſiquis ſit bonus imperator, ſed homo improbus, nec reipublicæ beneuolus, alter iuſtus & beneuolus, non ita bellicoſus, quis delectus ſit habendus? Duo ſpectanda videntur, quid ſit omnium magis commune, & quid minus. In copiis ergo ducendis experiẽtiæ potius habẽda ratio, quàm virtutis. pauciores enim periti duces, plures æqui boníque ſunt. In cuſtodia verò & quæſtura ſpectãtur oppoſita, quia maiore virtute

tute opus est, quàm quæ solet esse vulgo. At omniū communis est scientia. Quærat aliquis, si cui duo insint, potentia, atque amor reipublicæ, quid egeat virtute? Nam duabus hisce rebus instructus conficiet ea quæ reipublicæ prosunt. An etiam virtus habenda, quoniam fieri potest, vt ii quibus insunt hæc duo, sese continere non possint. Itaque quemadmodum sibi non obtemperant, quanquam se norunt & amant, ita nihil prohibet esse qui eodem modo in commune sint affecti. Omnino quæ dicimus in legibus vt ciuitatibus vtilia & accommodata, ea conseruant omnia statum rerumpublicarum. Et quod sæpenumero dictum est, maximum principium & elementum, obseruare vt ea multitudo quæ saluam esse vult rempublicam, viribus superior sit ea quæ non vult. Præter hæc omnia, non est ignorandum medium, quod ignorant modò ciuitates quæ ad extrema deflexerunt. Multa quæ popularia videntur, imperium populare dissoluūt: atque multa quæ dominationi paucorum creduntur vtilia, perimunt illam. Qui putant hanc vnam esse virtutem, rem longius à medio protrahunt, nec intelligunt esse veluti nasum, qui tametsi iustā magnitudinē, quę pulcherrima est, relinquēs, declinat in aduncū aut repandū, pulcher est tamen, atque etiam venustus aspectu. at uero siquis longius ad exuperantiam vsque porrigat, primùm auferet decentem particulæ mēsuram, tandémque perficiet vt ne nasus quidem esse videatur, quia conuersus fuerit ad extrema contraria, exu-

perantiam atque defectionem. & eodẽ modo de cæteris partibus eſt dicendũ. Id accidit & aliis conſtitutionibus, vt ciuitatum. Etenim quãuis oligarchia atque democratia ab optimo ſtatu exierint, ſibi tamen ſatis eſſe poſſunt, & bene habere. Quòd ſiquis longius protrahat hanc & illam, primum deteriorẽ reddet, & tandem faciet vt ne reſpublica quidem ſit. Quamobrem non debet ignorare legumlator, & qui rempublicam adminiſtrat, quæ genera rerum popularium democratiam ſeruant, & quæ perimunt, & item quæ res paucorum firmant oligarchiam, quæq; labefactant. Neutra quidẽ harum eſſe poteſt & permanere ſine diuitibus & plebeia multitudine. Quũ verò facultates adæquantur, hanc aliam eſſe rempublicam neceſſe eſt. Quum igitur abrogant leges quæ ad inæqualitatem & exuperantiam pertinent, auferunt ſtatum rerumpublicarum: peccántq; & in populari ſtatu, & in dominatione paucorum. In populari ſtatu, duces populares qui gratiam plebis penes quam legũ vis eſt, aucupantur, quia quum pugnant in diuites, bipartitò diuidunt ciuitatem. Ineunda eſt via contraria, & ſic agendum, vt pro diuitibus ſemper dicere videantur. In dominatione paucorum bonum eſt pro plebe dicere potentiores qui obtinent principatum, & alia iuriſiurandi verba atq; nunc ſolent confirmare. Sunt enim ciuitates imperio paucorum ſubditę, in quibus nunc iurant hoc modo, Plebi & maleuolus ero, & eam quo malè tractẽ, conſilium inibo. Oportet & exiſtimari & ſimulari cõtrarium,

&

& indicare iureiurãdo, Nulla iniuria violabo plebẽ. Omniũ quæ dicta sunt, maximũ est ad incolumitatẽ salutemq; rerũpublicarum id quod nunc paruipendunt omnes, sciẽtia ciuili erudiri. Nihil enim proderũt leges perutiles, & ab omnibus administrãdæ reipublicæ peritis celebratæ, nisi erũt in republica ciues moribus & disciplina formati: si populares sunt leges, more populari: si ad imperiũ paucorũ pertinent, modo paucorũ. Nam si in vno est incontinentia atq; intemperãtia, est & in ciuitate. Est autem reip. disciplina, non ea facere quibus pauci potẽtes, aut status popularis amantes gaudeant, sed quibus poterũt illi quidem oligarchiam, hi verò democratiã retinere. Nunc autẽ in quibus ciuitatibus imperiũ tenẽt pauci diuites, eorum qui pręsunt filii voluptates ac delicias sectantur: pauperũ verò liberi in cãpo exercentur, & laborãt. Itaq; & volunt auidius, & possunt res nouas moliri. In iis autem ciuitatibus quæ à populo regũtur, & máximè vidẽtur esse populares, cõtrà ac vtile sit, res est cõstituta. hoc ex eo fit, quòd malè definiunt libertatem. Duobus enim imperiũ populare definiri videtur, summo principatu multitudinis, atque libertate. Nam ius in democratia par & æquabile esse putãt: & æquabile, quod imperita multitudo primum esse iusserit: liberumq; & æquabile, facere quod quisq; velit. Itaque in eiusmodi ciuitatibus vt quisque vult, ita viuit: & vt ait Euripides, eò fertur quò propendet volũtas. id autem malum & improbum. Nec enim putanda seruitus est vita ad rempu-

blicam accõmodata, sed incolumitas & salus. Vt nõ exquisitè & subtiliter disputemus, sed rudi simplicique genere dicendi, hic est earũ rerũ numerus vnde oritur conuersio & interitus rerumpublicarum, & quibus illæ saluæ & incolumes permanent.

Cap. 10. RELIQVVM est vt de monarchia disseramus, & quibus ex causis intereat, & quibus seruetur pręsidiis, explicemus. Quæ regna patiuntur, & imperia tyrannorũ, propemodum similia sunt iis quæ de publicis rebus suprà demõstrauimus. Nam regia potestas ad optimatum principatum accedit, tyrannis ex oligarchia postrema democratiaq; cõcreta: quapropter iis qui ferunt illam, grauissima atq; perniciosissima, quippe quæ ex duobus est confecta malis, & fert egressiones ab optimo statu, & vitia vtriusque rei publicæ. Vtraque monarchia recta via ex contrariis prodit. Regnum quo populus æquos bonosq; viros tueretur, institutum est: & constituitur rex ex viris bonis virtute cæteros longè superãtibus, aut rebus gestis quæ prodeunt à virtute, aut certè illustri genere, quod hisce rebus multo præstantissimum. Tyrãnus autem ex populari multitudine oboritur, vt illustres nobilésque viros opprimat, nullámq; patiatur ab illis iniuriam. Id probauit euentus. Nam (si vera fatemur) omnes ferè tyranni facti sunt ex ducibus popularibus, in quorũ fidem se multitudo permisit, propterea quòd nobiles criminarentur, & calumnia vexarent. Hoc enim modo iam ciuitatibus auctis imperia tyrannorũ constituta. Fuerũt his alia

priora

priora ex regibus, qui patria iura prætergrederentur, nimiúmque suos opprimere seruitute cuperent: & alia ex hominibus qui ad gerendos summos magistratus eligebantur. Nam populi quondam & eos qui ciuilibus negociis præessent, & eos qui rebus diuinis & contemplationi darent operã, diuturno imperio præditos esse voluerunt. Alia manarũt è paucorum principatu, qui vnum aliquẽ cui summa rerum princip ésq; magistratus committerẽtur, eligebant. Omnibus his modis, si dominari modò voluissent, eò quòd iam tradita potestas esset, perficere facilè potuissent, illi regis, hi primi honoris potestate freti: vt Phidon Argis, & alii qui regnũ obtinebant, facti sunt tyranni. Qui magistratum gerebant in Ionia, atq; Phalaris, ex publicis honoribus eruperunt in tyrannidem. Panætius apud Leontinos, Cypselus Corinthi, Pisistratus Athenis, Dionysius Syracusis. Itémque alii qui populares erant, & imperitæ multitudinis gratia abutebantur. Regnum, sicuti diximus, in morem status optimorum fuit institutum: quippe quod est ex dignitate, aut ex eius virtute qui præficitur, aut ex virtute generis eius, id est vel parẽtum vel maiorum, aut ex beneficiis, aut ex his atque facultate. Omnes enim qui beneficia in ciuitates aut gentes contulerunt, aut conferre potuerunt, hunc adepti sunt honorem, alii imminente seruitute bello propulsata, vt Codrus: alii vindicatis in libertatẽ populis, vt Cyrus: aut tyrãnis monstrísve cæsis, aut finibus propagatis, vt Lacedæmoniorum, Macedonum

Molossorúmq; reges. Vult auté rex esse custos atq; propugnator, vti qui fortunas & facultates habent, nullam patiantur iniustitiam, & ne populus improbitate & iniuria lædatur. Tyrannis verò (vt sæpenumero dictũ est) nullum respicit bonum publicũ, nisi vtilitatis propriæ priuatiq; commodi gratia. Tyrãni finis est, voluptas: regis, honestas. Iccirco superiores partes melioresq; conditiones tyrannorum pecunia, regum potius honore constant: atq; rex custoditur à ciuibus, tyrãnus à peregrinis. Perspicuum est igitur tyrãnidi esse pestes & popularis imperii, & status diuitum paucorum. Ex oligarchia malum contrahit, quòd sit illi finis, opum facultas: illi quidem non alio modo & pręsidiũ, & alimẽtũ manere potest: quodq; multitudini confidere nõ audeat. Itaq; arma ciuibus adimere, & vulgus populi vexare, & ex vrbe extorres agere, incolásq; dispergere, tyrãnidis & oligarchię cõmune est. Ex democratia capit hoc mali, bellũ gerit in nobiles, & clàm interimit ac palàm, atq; exturbat è ciuitate, quasi de eadẽ arte cõtẽdãt, & imperio sint impedimẽto. Ex ea re fit, vt illis insidię tendãtur, aliis imperare, aliis seruitutẽ fugere volẽtibus. vnde Periandri consiliũ Thrasybulo datũ, eminentiorum spicarũ deturbatio, quasi semper opus sit ciues eminenteis auferre. Habẽda sunt igitur, sicuti diximus, eadem ferè principia conuersionũ in vnius imperio, quæ sunt in cõmunione rerũpublicarũ. Nã iniustitia & metu ac fastu monarchorũ adducti pleriq; eorum qui premũtur imperio, conspirãt, & illos adoriũtur.

Idq;

Idq; maxime faciũt iniuria ac contumelia (quę pars est iniustitiæ) commoti, sed & aliquãdo suis bonis & facultatibus priuati. Nec solum principia sunt eadẽ, sed fines quoque, vt in publicis rebus, sic in tyrannide & regno. Monarchis enim magna vis opum suppetit ac honoris, quæ plerique omnes expetunt. Aggressionum partim feruntur in corpus imperantiũ, partim in principatum. quæ ab iniuria contumeliaq; prodeunt, in corpus. quumq; multæ sint contumeliæ partes, iram singulæ gignunt: atque omnes ferè qui ira concitantur, vlciscendi, non dignitate excellendi gratia impetum faciunt, vt pœna Pisistratidas est secuta quòd Harmodii sorori dedecus intulissẽt, & Harmodiũ offendissent. Harmodius igitur irruit in eos propter sororẽ, Aristogiton propter Harmodium. Et insidiæ Periandro Ambraciæ tyranno paratæ, quòd quum biberet vnà cum puero suis deliciis, interrogasset ipse num de se iam cõcepisset? Pausaniæ dedit pœnas Philippus, quòd non animaduertisset in Attalum qui Pausaniæ attulerat iniuriam. Derdas item pœnã repetiuit ab Amynta paruo, propter iactationem in ipsius ætatem. Et Euagoras Cyprius ab Eunucho. Nam quum filius eius à muliere repudiatus esset, illum vt iniuria affectus interemit. Multiq; perniciem moliti sunt monarchis propterea quòd hi probrum corpori obtulissent, vt Cratæus Archelao. Semper enim grauiter ferebat eius consuetudinẽ. Itaq; satis valuit causa minor ad facinus edendum. Aut quòd neutram filiarum, quanquam

desponderat illi, dedit, sed natu maiorem collocauit Elibeæ regi, bello in Sirrham & Arrhabæum occupatus, iuniorem Amyntæ filio, quòd existimaret eo pacto illum & è Cleopatra natum minime contẽdere & certare velle: at hoc fuit alienandi animi principium, quòd ægre ferret se gratia veneris appeti. vnà coniurauit Hellanocrates Larissæus eadem ratione commotus. quòd enim vsus illius ætate, domũ sicuti pollicitus erat, non reduxisset, existimabat improbitate petulanti, non amoris desiderio consuetudinem illi secum fuisse. Paron & Heraclides Aenienses occiderunt Cotyn vlciscendi patris gratia: & ab hoc desciuit Adamas, quoniam puer exectus ab illo, putabat iniuriam se accepisse. Multiq; ira cõmoti, quòd plagas in corpus accepissent, vt iniuria affecti, & magistratus & reges aut interfecerunt, aut prodiderũt, vt apud Mitylenæos Megacles cum amicis Pentalidas aggressus, quòd circumferrẽtur, clauaq; percuterent, interemit. Posteaq; Smerdes verberibus cæsus & à muliere extractus Penthilon occîdit. Decamnichus causa fuit cur Archelaus oppugnaretur, vt pote qui cõiuratos primus incitauit, iratus eò quòd ipsum flagellis conscindendum poetæ Euripidi tradidisset. Euripides autem illi infensus erat propterea quòd aliquid in oris eius odorem tetrum dictitasset. Alii non pauci ea de causa hi sublati, illi insidiis appetiti. Similia committũtur impellente metu. Est enim metus vt in rep. sic & in monarchia, inter causas malorum: vt in Xerxem coniurauit Artapanes, quia timebat

mebat crimē & accuſationē propter Dareium, quòd eum Xerxis iniuſſu extuliſſet: ſed exiſtimabat hunc veniam ſibi daturum, quaſi rex, propterea quòd in conuiuium admittebat illum, non meminiſſet iniuriæ. Aliæ de cōtemptu fiunt inſidiæ, vt quidam Sardanapalum cum mulieribus penſa diuidentem conſpicatus, creauit illi periculum, ſi modò fabularū ſcriptores hæc vera dicunt. certe ſi non in illo, tamen in alio verū eſſe poteſt. Dionyſio poſteriori Dion molitus eſt perniciem, quòd videns ſic habere ciues, & illum ſemper ebrium eſſe, hominem contempſerit. Sunt & amici qui contemptu adducti parant inſidias. Nam quòd ipſis adhibetur fides, aſpernantur, quaſi futurum ſit vt minime ſuſpecti lateant. His adde qui putant ſe poſſe obtinere principatum. nam quodammodo ob contemptum res nouas aggrediūtur. Vt potentes enim, & periculum contemnentes, quia potentia freti, in monarchos inuadunt: vti belli duces, quemadmodum Cyrus in Aſtyagem, cuius & viuendi genus & potentiam ſpernebat, quoniam vires eius ocio relāgueſcere, & ipſum deliciis operam dare vidiſſet. Seuthes Thracius quum dux exercitus eſſet, in Amadocum vires ſuas conuertit. Alii pluribus hiſce cauſis, vt cōtemptu lucroq; commoti, monarchos adoriūtur, vt Ariobarzanem Mithridates. Ea de cauſa maxime iniiciunt manus viri natura audaces, & apud monarchos honore bellico præditi, quia fortitudo poteſtate munita, audacia eſt. Duabus his rebus adducti, vt facilè victores futuri, erum-

punt in vnius principatum. Aliud est genus causæ q̃ quę diximus, vnde honoris appetẽtes ad vim concitantur. non enim queádmodũ nõnulli tyrannis imminent, quia quæstus ingentes atque magnos honores illis exhiberi vident: sic quisque gloria ductus rebus nouis studẽs vult periclitari: sed illi propter eam quam diximus causam regnum affectant, hi non aliter atque si quid aliud præclare gererent, vnde nomẽ & gloriam apud alios sibi compararent, ita monarchis afferunt manum, non qui sibi monarchiam, sed gloriam parere velint. Atvero perpauci numero sunt qui hac causa mouentur. Nulla quidem salutis cura subesse debet, si rem non confecerint, sed illis hærere opus est Dionis propositum, quod non facilè multis inest. Ille quidem cum paucis in Dionysiũ bellum gessit, eo se esse animo dictitans, vt quãtumcunq; progredi posset, id sibi laboris satis futurum, vt si quum paulum terræ inuasisset, continuo mors ipsum occuparet, pulchre mori se existimaret. Tyrãnis vno modo, veluti aliarum rerumpublicarum singulæ, malo extrinsecus illato collabitur. siqua sit resp. potentior illi contraria, inerit haud dubie propter studia contraria, perdendi voluntas. Omnes autem quæ volunt, si facultas adsit, efficiunt. Cõtrariæ sunt resp. popularis tyrannicæ, vt figulo figulus, inquit Hesiodus. Etenim democratia postrema tyrannis est. Regnum & status optimorum, tyrannidi ex administrandi ratione contraria. Quapropter Lacedæmonii & Syracusani quo tempore bene rem suã administrabant

administrabant, permultas euerterunt tyrannorum dominationes. Sed & vno modo tyrannis labefactatur ab intestino malo, quum seditionibus domesticis agitantur tyranni, vt illa Gelonis, & Dionysii modò. Gelonis imperium solutum, quia Thrasybulus Hieronis frater filium Gelonis alliciebat in gratiam, & ad voluptates, vt regnaret ipse, concitabat: familiares autem contraueniebant, ne prorsus tyrannis, sed Thrasybulus frangeretur. Coniurati vero occasione data illos omneis expulerunt: Dion autem militibus coactis, & euocato populo Dionysium affinem suũ posteaquã ab imperio deiecit, interfectus est. Quũq; duæ sint causæ quibus homines inducti maxime, tyrannos adoriuntur, odium atque contemptus, vt alterum istorum tyrãnos sequatur necesse est, odium. Despicatum multæ sequũtur euersiones. Id hoc argumento confirmari potest, quòd permulti qui sibi imperia tyrannica quæsierunt, illa retinuerunt: qui susceperunt ab illis, omnes propemodum perdiderunt. Nam qui voluptatibus operam dant, facilè veniunt in contemptionem, multasq; dant insidiãtibus occasiones. Enimuero odii particula statuẽda est ira, quòd earũdem actionum quodammodo parens est, atque odio sæpe efficacior. Nam quòd ratione non vtitur hæc perturbatio, vehementius in facinus irati feruntur. Maximeq; solent iram persequi, qui iniuriam acceperunt. ea de causa & Peisistratidarum tyrannis est soluta, atque aliorũm multæ. Odium vero ratione magis vtetur. Etenim dolor comitatur iram:

quare non facilè rationi morem gerit. Odium ſine dolore eſt. Vt autem ſummatim breuiterq; dicamus, quot diximus eſſe cauſas imperii paucorum intemperati & extremi, & popularis adminiſtrationis vltimæ, totidem quoque tyrannidis ſtatuēdæ ſunt, quia ſunt & hæ dominationes diuiſione tyrannorum cōprehenſæ. Regnum minime extrinſecus diſſipatur, ideóque diuturnum eſt. Cæterum ex ipſo multa abrumpendi genera oboriuntur. Nam duobus modis exitium patitur: vno, quum ſeditione labefactantur regni participes. altero, ſi crudelius tyrānorum more imperare, & præter æquum legemq; in plures dominari volūt. At iam nulla ſunt regna. Quod ſiqua videntur eſſe, monarchiæ magis tyrannidéſque cenſeri debent: quia regia poteſtas non inuitis præeſt, & ad maiores pertinet. multi autem nomine reges, aliorum ſimiles ſunt, nec vllus adeo præſtat, vt magnitudinem principatus atque dignitatem plane adæquare poſſit. quamobrem ferūtur ab inuitis. Quòd ſi quis fraude aut vi regnat, iam tyrānis ea dominatio videtur. In regnis autē quibus patri filius aut generis eius alius ſuccedit, præter eas quas demonſtrauimus interitus cauſas, hæc quoque ſtatuenda, quòd multis plane cōtemnēdis imperiū traditur, qui nō tyrannicā potentiā, ſed regiū honorē adepti, improbe & flagitioſe viuūt, ac cōtumelioſe tractāt ſuos. Facilis autē eſt regni diſſolutio. Breui non erit, ſi nolint ciues. At tyrānus etiāſi nolint, manebit. His rebus igitur & aliis id genus cauſis monarchiæ franguntur.

Seruantur

SERVANTVR autem, vt vniuerſe ſummatimq; dicam, à contrariis: vt ſingulatim, regnis ad moderationem poteſtatémque temperatiorem actis. Nam quanto minor cuique magiſtratui traditur poteſtas, tãto diutius illum manere eſt neceſſe, quia minus ii qui ſummam imperii tenent, ſeruitute premũt ſuos, magiſque ſuos mores æquant, & eorum quibus præſunt, minus flagrant inuidia. Id in cauſa fuit cur longum tempus apud Moloſſos regnum permanſerit, & apud Lacedæmonios, quia ab initio magiſtratus ille diuiſus eſſet in duas partes, atque rurſum Theopompus vnà cum aliis eum temperaſſet, ac Ephororum conſtituiſſet imperium. Nam detracta poteſtate, regnum diuturnitate temporis adauxit: & ita quodammodo non minus ſed maius effecit: quod vxori quærenti, puderétne ipſum regnum debilius filiis tradere, quàm à patre accepiſſet, reſpõdiſſe ferunt atque dixiſſe, Non pudet: diuturnius enim trado. Imperia tyrannorũ duobus modis maxime cõtrariis ſalua manent. Alter eſt traditus, quo plerique tyrannorum gubernant imperium. Multa quæ huc pertinent, inſtituiſſe fertur Periander Corinthius multa ab regno Perſarum talia ſumi poſſunt. Et quæ dudum narrauimus, ad tyrannidis ſalutem nonnihil pertinent, eminentiores excellentiorésq; viros deturbare atq; demetere, & homines elati ſpiritus auferre, neque ſodalitia, neque ſocietatem, neque diſciplinam, neque aliud quicquam ſimile permittere, ſed amoliri omnia vnde gigni duo ſo- Cap. 11.

lent,ſpiritus ingentis elatio, & exiſtimatio præclara. Iuuat etiam neque ſcholas nec alios conuentus qui fruantur ocio,permittere,& omnia factitare ex quibus alios alii propter conſuetudinis inopiam ſuſpectos habebunt:quia cognitio facit vt multi probentur,& authoritatem fidémque ſibi pariant. Expedit quoque ſtipatores externos omni tempore in hominum conſpectum ſe dare, & ad fores verſari. Sic enim plane ſciri poteſt quid agant homines. Videndúmque prudenter,an continua ſeruitute iugum pati conſueſcant. Diſpiciendáque ſunt alia generis eius,vt Perſica ac barbara, quæ tyrannica ſunt. Eadem certe vis eſt omnium. Nec alienum eſt à tyranno, operam dare ne in occulto lateant quæcunque dixerit egerit ve quis eorum qui reguntur: atque ſpeculatores emittere, vt qui Syracuſis ποταγωγίδαι, hoc eſt delatores vocantur:vt Hiero emiſſarios habebat qui ſubaudirent vbinam coitio conuentus ve eſſet. Minus enim libere, qui metuunt exploratores huiuſmodi,loquũtur: & ſiquid liberius audent,minus latêre poſſunt. Tyrannidis eſt etiam facere vt calumnias adhibeãt,& crimen obiectent,vtq; ſimultates alant, atque collidãtur infenſi amicis amici, plebs nobilibus,diuites diuitibus.Et vt ad inopiã redigantur ii qui parent,ne cuſtodiæ præſidióque alimenta ſumminiſtrare poſſint, ſed victum cottidiano labore quæritantibus ocium deſit,& inſidiandi tempus. Huiuſce rei manent exempla Pyramides Aegyptiæ, & coloſſus ac ingens ſtatua à Cypſelidis erecta, &

quod

quod Peisistratidæ extruxerunt Olympium, & Sami Polycratis opera. Hæc omnia conficiunt idem, assiduum laborem & paupertatem hominum qui tyrannide opprimuntur. Adde pensionem vectigalium, vti Syracusis Dionysio imperante accidit, annis quinque facultatibus atque fortunis omnibus ciues nomine vectigalium euerti. Vult etiam gerere bellum tyrannus, vt ii quibus præest, ne sint in ocio, sempérque duce egeant. Ac regnum seruatur ab amicis. Tyrãnicum vero, nullam prorsus amicis adhibere fidem, nec illis se credere, quasi velint omnes atque maxime possint tyrannum perdere. Et quæ in deterrima ac extrema democratia fiunt, tyrannica sunt omnia, imperium mulierum domi, nimiáque licentia, vt indicent quid moliantur viri, & ex eadem causa seruorum immodica libertas. Nec enim serui nec mulieres tyrannis insidias parant. Nam si commode & ex animi sententia viuunt, & tyrannidi & democratiæ vt bene velint esse, necesse est. Etenim multitudo popularis monarchiam tenere, & tyrannorum more dominari cupit. Quapropter adulator apud vtrosque, tyrannos, atque plebeios, in honore est. Apud plebeios quidẽ popularis homo, qui multitudinis leuitatem voluptate quasi titillat. Est enim huiusmodi vir multitudinis assentator. Apud tyrannos in eodem sunt loco qui se abiiciunt, & humiles atque demissi cum illis agunt atque versantur: quod quidem munus est adulationis. Etenim hæc est causa cur improbos habeat amicos tyrannis, quòd qui

ita dominantur, aſſentatoribus patefaciunt aures, & blanditiis deliniti corruptique gaudent. Nullus autem committat iſtud qui ſit animo libero & excelſo. Aut amant boni viri, aut non adulantur. Improbi ad res improbas vtiles ac idonei. Clauus enim clauo truditur, vt eſt in prouerbio. Eſt etiam tyrannicum, nullo graui & auguſto, nullo ingenuo liberoque delectari, quia vnum ſe generis huius eſſe exiſtimat tyrannus. At qui grauitatem præ ſe ferenti & grauiter habenti, ſimili grauitate reſpondet, atq; agit libere, præſtantiam dominationémque tyrãnidis auferre, & æqualitatẽm inducere videtur. Oderunt igitur viros graues ac liberos tyranni, vt quos imperium violare credant. In conuiuium & vſum cottidianum externos adhibere potius quàm ciues, tyrannicum, quaſi ciues ſint hoſtes, externi contra nihil moliantur. Hæc & ſimilia tyrannica ſunt, & illius imperii ſeruantia. Nihil enim improbitatis, flagitii, ſceleris omittitur. Hæc omnia (vt ſummatim colligam) tribus formis continentur. Tria ſunt enim quæ tanquam ſcopum ſignúmque petunt tyranni: vnum, vt ii quibus præſunt, deiecto ſint animo rudique, propterea quòd nemo parui animi tendit inſidias. Alterum, vt alter alterius habeat ſuſpectã fidẽ, quia nõ antè diſſipatur tyrannis, q̃ ciuiũ pars cõuenerit, & haud dubiam acceperit dederitque fidem. Ideoque bonis viris infert bellum, quaſi pernicioſis huic dominationi, nõ eò ſolum quòd ſeruitute premi nolunt, & vt mãcipia domino ſeruire, verũetiam

quòd

quòd & ſibi & aliis ſunt fideles, neq; ſe neq; alios accuſant. Tertium, vt nulla ſit facultas agendi. Nullus enim conatur efficere quę fieri nullo modo poſſunt. Itaque ſi non adſit facultas, tyrannidem ſoluere non contendit. Hi tres ergo fines, ad quos tyrannorũ cõſilia referuntur. Omnia quidem tyrannica ad hæc propoſita referre licet, tum vt ne alii in aliorũ fidem ſe tradant, tum vt agendi facultate & animi virtute deſtituantur. Vnus ergo modus vnde ſalus tyrannidi petitur, hic eſt. Alter vero ferè contrà atque dictum eſt, rem curat, qui ſumi poteſt ex interitu regnorum. Vt eſt vna ratio qua regnum perit, quum inſolentius & crudelius fit hoc imperium, ſic tyrannidis eſt conſeruatio, quum ad regni ſimilitudinem comparatur, & vnum modo ſeruat ac retinet, potentiam, vt non volentibus modò, verumetiam nolentibus & inuitis imperet. Id enim quum abiicit, imperium tyrannicum abiicit. Hoc igitur vti fundamentum manere opus eſt: reliqua partim facienda, partim ſimulanda ſunt à tyranno, vt pulchrè perſonam regis agere videatur. Primum faciundum, vt communeis vtilitates curare exiſtimetur: nec largiatur ea dona quæ profundi grauiter & ægre multi ferunt, quòd hæc ex eorum opera ac labore & parco tenuique emolumento ſubtrahuntur, atque meretricibus dantur & aduenis atq; artificibus effuſe. Ratioq; reddenda accepti & expenſi. quod aliquot iam tyranni fecerunt. Sic enim rem adminiſtrans, nõ tyrannus eſſe, at œconomus videbitur. Nec timendum

nequando pecuniis egeat,qui ſit dominus ciuitatis. Sed & ſi migrent domo tyrãni, locum ve mutent,id erit vtilius,quàm ſi numos coactos coaceruatóſque domi relinquant,propterea quòd rebus minus inſidiabuntur cuſtodes. Tyrannis autem, quum foris agunt, cuſtodes magis quàm ciues timendi, quoniam hi comitantur, illi continentur domi. Deinde tyranno faciundum vt vectigalia atque operas ſuorum cogere videatur & œconomiæ cauſa, & vt ſiquando ſit opus,bellicis opportunitatibus ſint vſui: & vt prorſus exhibeat ſe cuſtodem atque diſpenſatorem rerum non quaſi priuatarum, ſed vt communium. Nec oſtendat ſe difficilem & aſperum,ſed grauem,& honore dignum:quod efficit vt qui incidunt in illum aut adeunt conueniendi gratia, nõ timeant, ſed potius reuereantur. Id autem facilè non conſequetur homo idoneus qui contemnatur. Quamobrem ſi non aliarum virtutum,ciuilis tamen habenda ratio,& ea de ſe opinio confirmanda. Pręterea vt iniuriam nulli inferre videatur,neque adoleſcenti,neque adoleſcentulæ,nec alii cuiquam eorum qui cum eo verſantur. Et vt eius vxores eandem moderationem ſeruent erga alias, quoniam mulierum contumeliæ in cauſa fuerunt cur tyrannorum multæ dominationes perierint. Vtq; in corporis voluptatibus contrà faciat atque nunc pleriq; tyrannorum. Non enim ſolum ſtatim ineunte die voluptatibus dant operã,multoſq; dies continue fruũtur, ſed etiam videri volũt ab aliis id facere,quò tanquam fœlices ac

beatos

beatos qui viderint admirentur. At in his maxime ratio modúsque seruandus, vt si non fugiant illas, aliis saltem fugere videantur. Nec enim sobrius facile insidiis appetitur, nec contemnitur, sed ebrius: nec qui vigilat, sed qui dormit. Omniúmque fere quæ dudum exposuimus, facienda cõtraria. Instruẽda ac ornanda ciuitas vt à curatore, non tyranno. Præterea vt diuinis rebus operam dare maxime videatur, est curandum. Minus enim verẽtur ne quid iniquum & iniustum patiantur ab eo principe, quẽ timere deos & colere opinantur: minúsque insidiabuntur illi, vtpote cui dimicanti dii auxilium ferant. Oportetque talem videri, non qui deos ex animi inopia inscitia ac ignoratione veneretur. Et viros aliqua in re laudabiles sic ornare, vt non existiment se plus honoris à ciuibus, etiamsi legibus suis vterẽtur, accipere potuisse. Honores huiuscemodi partiri debet ipse, pœnas sumere per alios magistratus atque iudices. Omnis autem monarchiæ salus & conseruatio communis est, neminem vnum magnis honoribus & opibus extollere, at si visum fuerit, plures, propterea quòd alius aliũ obseruabit. Quòd si quem statuere sublimem sit necesse, ne constituat hominem moribus audacem, quia mores generis huius in omnibus rebus agendis rerum nouarum sunt appetentissimi. Quòd si cui potestatem infringendam putet, paulatim sensimque istud facere debet, non simul vniuersam auferre potestatem. Quinetiã ab omni iniuria ac contumelia, & à duabus magis

quàm à cæteris omnibus abstinendum, ne verberibus sæuiat in corpora, ne stupro vitiet ætatem. Maxime adhibenda cautio, ne sic eos accipiat qui student honori. Imminutionem pecuniarum à principe negligenti grauiter ferunt auari: dedecus, bonæ famæ studiosi, & æqui bonique viri. Quamobrem aut his viris parcendum, aut sic irrogandæ pœnæ, vt patrio more, non incuria ac despicientia facere videatur. Quæ cum ætate consuetudo tyranno est, non ex licentia sed amoris gratia nata videri debet. Omnino quę dedecus, ignominiam maculamq; inurere videntur, amplioribus ornamentis honoribúsque redimenda. Timendi maxime qui manus audent afferre corpori, & adhibitis custodibus obseruandi maxime, qui si occiderint, non optant sibi vitam promereri. Iccirco summa cautio sit ab iis, qui vel se vel sibi charos iniuriam accipere putant. Non enim sibi parcunt, qui ira commoti feruntur in vindictam. In eam sententiam dixit Heraclitus, durum esse & graue cum animo ira flagranti certare, propterea quòd emitur hoc animā. Quòd autem ciuitates ex duabus sunt partibus constitutæ, ex hominibus opulentis atque pauperibus, cogitandum est vt imperii beneficio vtrique seruentur, & ab alteris alteri nulla iniustitia lædantur. Vtri tamen viribus superiores sint, videndum, vt eos maxime conciliet imperio. Nam si ita habeant res, non erit necesse tyrannum donare libertate seruos, nec arma adimere, quia pars altera viribus tyrannidis adiuncta satis erit

ad

ad eos vincendos qui rebus nouis ſtudere,& principem adoriri volent. De ſingulis horum diſputare ſuperuacaneum videtur. Manifeſtum eſt enim propoſitum quò tendat, oportere non tyrannicum ſed œconomum regiúmque iis videri quibus præeſt, nec eum qui in rem ſuam communia interuertat, ſed qui publicum curet, & vitæ mediocritates non exuperantias perſequatur. Adde quòd nobiles viros & illuſtres familiares habere, vulgus blanditiis lenire debet. Ex his enim rebus neceſſe eſt non modò pulchrius & optabilius imperium, quo non humiles & abiecti, ſed viri præſtantes & dignitate conſpicui reguntur, & quod non odio & metu continuo laborat, verumetiam diuturnius atque ſtabilius eſſe. Iam mores ita componat ſuos, vt aut virtute & honeſtate præditus, aut ſemibonus ſit: non iniuſtus, at ſemiiuſtus.

ET QVIDEM breuiores ſunt omnibus publicis rebus oligarchia ac tyrannis. Nam longiſſimo tempore Sicyone ſtetit Orthagoræ tyrannis & filiorum. Illa quidem permanſit annos centum. Cuius rei cauſa fuit ea moderatio qua in ſuos vtebantur, & ratio viuendi, qua multum legibus ſeruiebant. Cliſthenes quia bellicoſus erat, nõ fuit Sicyoniis contemptui, & adhibita diligentia vt ſibi populum conciliaret, multa populariter egit. Is itaque fertur eum qui abiudicaſſet ipſi victoriam, & ex victoribus hominem exemiſſet, coronaſſe. Sunt qui dicant, illius qui ita iudicauit, eſſe ſtatuam viri- Cap. 12.

lem eam quæ in foro ſedet. Aiunt & Peiſiſtratum, quum ad Ariopagitas in ius vocatus eſſet, ſubiiſſe iudicium. Altera fuit Corinthi Clepſidarum tyrannis. Etenim ſeptuagintatreis annos & ſex menſes rerum ſummam tenuit. Cypſelus enim imperauit annos triginta, Periander quatuor & quadraginta, Pſammetichus Gordii filius treis annos. Huius ſunt eædem cauſæ, quæ ſuperioris. Nam Cypſelus quòd popularis eſſet, imperium ſine ſtipatorum cuſtodia peregit. Periander acerbe & tyrannice imperauit, alioqui vir fortis, atque bellica virtute clarus. Tertia, quam Athenis Peiſiſtratidæ occuparunt, haud continua fuit, quia vnus illorum bis aufugit Peiſiſtratus. Itaque ſpacio trium & triginta annorum Athenienſibus imperarunt, ipſe decem & ſeptem, filii decem & octo. Sic omnes anni fuerunt trigintaquinque. Ex reliquis illa fuit Hieronis & Gelonis apud Syracuſanos, quæ paucis annis ſtetit, duodeuiginti. Gelon quum ſeptem dominatus eſſet, octauo oppetiit mortem. Hiero quum decem. Thraſybulus vndecimo menſe excidit. Alia multa fuerunt imperia tyrannica, quæ prorſus omnia breui interierunt. Diximus propè de omnibus quæ ad reſpublicas & ad monarchias pertinent, quibus ex cauſis intereunt, & contrà quibus ex rebus ſeruā-tur. In rep. Platonis, Socrates de mutationibus diſputat, nec bene quidem diſputat, propterea quòd optimæ reipublicæ atque primæ nullam propriè mutationem attribuit. Nam cauſam mutationis eſſe dicit,

quòd


quòd nihil manet atq; perpetuò stabile firmũq; est, sed annis voluentibus quadam comprehensione & ambitu omnia mutantur. Earũ conuersionũ principium sumi ex iis quorum sesquitertia radix numero quinario coniũcta duas efficit harmonias, quum solidus fuerit huiusce descriptionis mathematicæ numerus, confirmat: quasi natura gignat aliquãdo improbos & hebetes, & alios aptiores ad capessendum animi cultũ. Hoc quidem fortè non improbè dicit, quoniã fieri potest vt nonnulli sint quos nullo modo erudire, bonósque viros efficere possis. At vt est hæc eius propria mutatio reipublicæ quã dicit optimam, potius quàm aliarũ, & eorũ quę fiunt omniũ? & cur potius à tempore, à quo dicit omnia mutari? Illa etiam quæ non eodem tempore esse fieríve cœperũt, quomodo simul immutantur? vt si quæ pridie illius diei quo fit conuersio, vno eodemq; tẽpore statum mutant? Præterea cur ex hac optima republica ad Laconicã digreditur? Sæpius enim in cõtrariam quàm in finitimam ac propinquã res omnis publica conuertitur. Eadem quoq; ratio mutationũ cæterarũ. Ex Laconica fit oligarchia, inquit, & ex hac, democratia, ex democratia tyrannis. Atqui etiã è contrario reflectuntur, vt democratia in oligarchiam, ac sæpius quàm in monarchiam. Præterea non ostẽdit an tyrãnis mutetur, an non: & si mutetur, quamobrem, & in quod reip. genus vertatur. Id eò cõmisit, quòd non facilè potuit dicere. Nec enim certum est atq; definitũ. Nam de illius sentẽtia debet in primam

atq; optimam conuerti. Sic enim circuli continenter circunduceretur orbis. Sed mutatur & in tyrannida tyrannis, vt Sicyone dominatio Myronis in tyrãnidem Clisthenis versa est: & in oligarchiam, vt quæ Chalcide fuit Antileontis: & in democratiam, vt illa Gelonis apud Syracusanos: & in aristocratiã, vt illa Charilai apud Lacedęmonios, & apud Carthaginiẽses. Atq; ex oligarchia fit tyrãnis, vt in Sicilia omnis ferè vetusta, apud Leontinos Panętii, & ea quã Gelæ tenuit Cleãder, & quã Rhegii Anaxilaus, ac multis in ciuitatibus eodem modo. Illud absurdũ putare, ideo rerũ summam à paucis ditioribus occupari, quòd homines auidi pecunię & ad rem augendã impigri, gerãt magistratus, nõ quòd multi cæteris longè ditiores iniquum existiment ius ciuitatis esse par habentibus rem, & nihil habentibus. Multæ ciuitates sunt in quibus regnant pauci potentes, vbi leges vetant quæstũ sectari, atq; pecuniæ causa negociari. Et Carthaginienses, quibus est status popularis, lucro dant operam, necdum illorũ variauit imperiũ. Absurdè quoq; dicitur, oligarchiam duabus ciuitatibus cõtineri, vna diuitum, altera pauperũ, & ea de causa mutari. Quid enim fert imperiũ paucorum deterius quàm Lacedæmoniorũ, aut alia quæuis respublica, vbi non omnes paria possidẽt, aut non omnes simili genere bonitatis sunt præditi? Nemine pauperiore facto quàm antea fuisset, nihilominus oligarchia in democratiã vertitur, si plures sint tenues ac inopes: & in oligarchiã democratia, si diuites multitudinem

vincant,

vincant, & illi negligenter agant, hi diligēter animaduertāt. Quumq; multæ ſint mutationū cauſæ, non eas enumerat, ſed vnam ponit, quòd qui rem ſuā dilapidant, & ære alieno opprimūtur, deueniūt in paupertatem. quaſi verò ab initio fuerint omnes aut plurimi diuites. Id autē falſum. At duces nonnulli poſteaquam decoxerunt, res nouas moliūtur. quū alius quiſquā rem profudit, nihil accidit reipublicæ graue. Nec vnquā potius in democratiā, quàm in aliam reipublicę formā mutantur imperia paucorū. Præterea ciues, aut ſi non ſunt honorū participes, aut ſi iniuria læduntur, aut contumelioſè tractantur, ſeditiones concitant, ſtatumq; ciuitatū mutant: quod faciunt etiam ſi non abſumpſerint opes, quoniā facere licet quod volūt, cuius rei cauſam ferūt eſſe nimiam libertatē. Quumq; plures habeat ſpecies oligarchia atque democratia, de mutationibus vtriuſque diſputat Socrates perinde quaſi vna ſit ac ſimplex.

ARISTOTELIS POLITICON
Liber ſextus.



VOT ergo differentiæ & quæ ſint cōſultationis, ac eius ordinis qui cōſilia tractat, & ſummā rerum tenet, de conſtituēdis magiſtratibus, de iudiciis, & quæ cui reipublicæ cōgrua ſunt viſa: præterea ex quibus & per quæ rerū ſtatus intereāt aut ſeruentur, prius à nobis eſt diſputatum. Quòd autē plures habeat ſpecies democratia, & itē Cap. I.

res aliæ publicæ, non erit inutile addere quæ restant, & videre quæ cuiq; ratio propria sit & accommodata. Præterea videndũ, quas sibi rerumpublicarũ partes concilient & adiungãt omnes illæ de quibus egimus formæ, propterea quòd illarũ coniugatione rerum summa variatur, vt sunt optimorum status qui ad oligarchiam, & nõnullæ quæ vocãtur respublicæ, quæ ad democratiã proniores sunt. De coniugationibus iis loquor, quas tametsi nullus inspexit hactenus, tamen inspiciundæ videntur, vt si pars illa quæ versatur in consiliis, & ea quę legẽdi magistratus habet potestatem, imperio paucorum seruãdo sit instituta, & si consiliũ ad oligarchiam, comitiũ ad aristocratiam deflectat, aut siquo alio modo non omnia reip. familiaria propriaq; sint cõstituta. Quę cui democratia ciuitati, & item quæ cui oligarchia multitudini cõgruat, & quid quibus aliis ciuitatibus sit vtile, suprà demonstrauimus. At certè planũ faciẽdum est non modò quæ sit ex his administrandi rationibus optima, atque ciuitatibus vtilissima, verumetiam quomodo & has & alias instruere oporteat, breuiter explicandũ. A democratia sumamus initiũ. Nam res illi contraria, quã vocant oligarchiam nõnulli, simul aperietur ac erit perspicua. Vt hæc via ratioq; docẽdi constet, sumẽda sunt omnia popularia, & quæ popularibus adiuncta rebus videntur, quòd ex eorum compositione popularis imperii formæ prodeũt, & non vna solùm democratia, sed plures ac differentes existunt. Duæ sunt enim causæ cur plura popularis imperii

imperii genera reperiantur. Prior à nobis antè dicta est, quòd turbæ popularis multæ sunt differẽtiæ. Est alia quæ colit agrum, alia quæ exercet illiberales arteis, alia tenuissima ac extrema mercenariorũ: quarũ si primã cum secunda, & tertiã rursus cum vtraque sumas, nõ differũt modò quòd hinc aut melior aut deterior sit democratia, verumetiam quòd specie diuersa. Altera causa est, de qua sermo nunc habetur. Nam popularibus imperiis consequẽtia, & quæ huiusce reip. videntur esse propria, si coniũguntur, populares status variant. Alii quidem pauciora, alii plura, alii vniuersa sunt consequẽtia. Nec inutile est has species omneis cognitas habere, & ad instituendum quod quis fortè volet genus, & ad corrigendũ quod prauum putabit. Etenim qui respublicas instituũt, omnia quæ suo proposito conueniunt, & ad vnum tendunt finem, collecta volũt. Quod qui faciũt, peccant, vti suprà capite de interitu & cõseruatione rerumpublicarũ diximus. Nunc autẽ quæ sint authoritates dignitatesq; ciuitatum, qui mores, quæ studia & fines, exponimus. Rectionis igitur popularis scopus & finis est libertas. Nam perinde loqui de libertate consueuerunt, quasi in ea republica sola cõmunis omniũ sit libertas. Aiunt enim ad eam veluti ad designatũ finem tendere omnem democratiam. Pars vna libertatis est, parẽre vicissim, & imperare: quia populare ius est, par & æquale numero nõ dignitate obtinere. quo iure constituto, multitudinẽ dominari necesse est, & quod decreuerint plures, id esse ex-

tremum atq; iustũ. Vnicuiq; ciuiũ par esse ius oportere confirmant. Itaq; vbi populus summæ rei præest, fit vt plus habeant potestatis tenues ac egentes, q̃ diuites & opulẽti. plures enim sunt, & quod statuerunt plures, authoritate præstat, & illi parẽtur. Hoc igitur vnũ libertatis est signũ, quò qui democratiam obtinent, rem tendere arbitrantur. Pars altera, vnũquenq; facere quod vult, hoc à libertate fieri dicunt, quandoquidẽ non licet ei qui seruus est, eo quo vult modo viuere. Hic igitur alter est popularis imperii finis. Hinc nata libido primùm nemini parẽdi, deinde si istud negaretur, viciſsim modò parẽdi. Hęc via munitur ad eam libertatẽ qua fruuntur omnes iure pari. Hisce iactis fundamẽtis, & illiusmodi ducto principio, popularia sunt instituta, omnes ex omnibus legere magistratus: omnes singulis, singulos omnibus viciſsim præesse: sortitione creare magistratus aut omnes, aut qui experientia & arte non egẽt: ex nullo vel quamminimo censu ad remp. accedere: neminem eũdem bis magistratũ gerere, aut raro, aut paucos honores, nisi qui ad bellũ pertinẽt: imperia non esse diuturna aut omnia, aut quæ prorogari non est necesse: omnes iudicare posse: ex omnibus legere iudices: de omnibus rebus ferre sentẽtiam, aut de plurimis & maximis atque summis, vt de rationibus honoris gesti reposcendis, de rep. de pactis conuẽtis singulorum: cõcionem rerũ omnium aut maximarum habere potestatẽ, magistratũ nullius, aut lõgè minimarũ. Nec est in iis qui præsunt, aliud populare magis q̃

Hic interturbata sunt Græca.

gis q̃

gis q̃ cõsilium, vbi nõ omnibus ad vitã satis copiosa merces persoluitur. Id vbi fit, plebeii vim magistratus huius auferũt, quoniã multitudo quũ satis vberem quæstũ facit, in cõsilio omnia iudicia ad se conuertit, vt antè dictũ est quum suprà hac de re via atq; ratione disputaretur. Deinde maximè omnibus pẽdere stipẽdia, & in his cõcioni, iudicibus, magistratibus, si nõ omnibus, at magistratibus, iudiciis, cõsilio, cõcionibus principibus, aut illis magistratibus quos inter se sodalitates celebrare est necesse. Præterea quoniã genere, diuitiis, ratione disciplinæ oligarchia definitur, horũ contraria ad statũ popularẽ videntur pertinere, generis ignobilitas, paupertas, ars illiberalis. Nullũ magistratum perpetuum esse. Quòd siquis ex antiqua mutatione relictus est, & illius amputare vires, & qui suffragio legebantur, sortitione creare. Hæc igitur cõmunia sunt earũ ciuitatũ quæ à multitudine regũtur, & manãt ex eo iure quod esse populare cõsentiũt. Istud est omnibus esse par & æquũ numero in ea quæ maximè democratia atq; multitudo popularis videtur. Ius enĩ æquatũ est quũ paupe res nihilo magis imperãt q̃ diuites, neq; soli dominãtur, sed omnes ex æquo: quod numero continetur. Sic enim in rep. ius par inesse putãt, atq; libertatem.

POSTEA affert hoc dubitationẽ, vt erũt iure pari? censũsne quingẽtûm ciuium partiẽdi & distribuendi mille viris, vt quantũ quingenti, tãtum mille possint? an non ita statuẽda æquabilitas, sed hoc modo diuidendi ciues, deinde pares ex quingentis & ex Cap.2.

mille ſumēdi, vt penes eos ſint differētiarū cognitiones atq; iudicia? An hęc reſp. iure populari iuſtiſſima, an ea potius quæ multitudine & numero nititur? Dicunt enim qui imperio populari fauēt, id eſſe ius, quod pluribus viſum eſt: qui verò tuētur oligarchiā, id quod ſtatuerūt ditiores: quia pro multitudine fortunarū iudicari oportere confirmant. Sed eſt vtriſq; inæqualitas & iniuſtitia: quia ſi fiat quod pauci volunt, tyrānis erit. Etenim ſi vnus plura quàm cæteri diuites, habeat, iure quo pauci diuites innitūtur, imperium ſolus obtinere debet. Si quod plures numero decreuerint, id ratū erit, iura violabunt publicātes bona diuitū atq; pauciorum, ita vti antea dictum eſt. Quę ſit igitur ęquabilitas, quę cōueniet inter vtroſque, vidēdum, & ex eo iure quod vtrique ſtatuunt, quęrendū. Dicunt enim quod ciuium plures ſtatuerint, id ratum eſſe oportere. Eſto quidem iſtuc, non omnino tamen, ſed quum duæ ſint partes ex quibus ciuitas conſtat, diuites & pauperes: quod vtriq;, vel plures decreuerint, id ius eſto. Quòd ſi in contraria diſtractæ ſunt ſententiæ, valeat quod plures & cēſu maiore ciues cenſuerint: vt ſint opulenti decem, pauperes viginti. decreuerūt aliquid ſex diuites, contrarium decem & quinq; pauperes. in ſententiā pauperum diuites quatuor, in ſententiam diuitum quinq; pauperes ierunt. vtriſq; numeratis, id ratum ſit quod alterutra pars maiore cēſu decreuerit. Quòd ſi cēſu pares inciderint, hāc eſſe cōtrouerſiam promiſcuam communemq; ſtatuendum, vt ſi nunc in duas diuiſa

parteis

parteis sit concio, aut iudiciũ: & aut sorte dirimenda cõtrouersia, aut aliud simile faciũdum. Enimuero de æqualitate & iure quanquã arduum est atq; difficile veritatem inuenire, facilius tamẽ hæc reperire, quàm eò perducere qui plus habere & superiores esse possunt. Semper enim ius & æqualitatem viribus inferiores quærunt, potentiores verò negligunt.

QVVM popularis imperii formæ sint quatuor, Cap. 3. optima quæ ordine prima, vt superioribus illis sermonibus demonstratũ est. Hæc enim omnium antiquissima. Verbi gratia, siquis multitudinis varietates differentiasq; distinguat, agricolarum populus optimus erit. Et ita fieri potest, vt democratia constituatur vbi multitudo ex agricultura vel pecore pascẽdo victũ quæritat. Nam quòd res eius tenuis est, vrget opus, & assiduè laborat. Itaq; non habet concionem freqũeter, sed raro coit: & quia nõ illi suppetũt necessaria, in opere faciũdo cõsumit operã, nec cupit aliena. Dulcius est opus rusticũ facere, q̃ rẽp. administrare, & eos gerere magistratus, vnde nõ licet vberem fructũ percipere, magnũq; facere quæstũ. Vulgus enim lucri q̃ honoris appetẽtius. Eius rei signũ, imperia tyrannorũ olim tulit, & fert paucorũ dominationes, si non sit impedimẽto magistratus quo minus in opere faciundo laboret, siq; nihil eripiat: quia tum breui ditescunt alii, alii non egẽt. Iam quum legendi magistratus rationisq; reposcendæ habeat potestatẽ, si quid honoris ambit, expletur hoc iure. Sũt enim populi, qui tametsi non legũt magistratus, sed

aliquot viri ex omnib⁹ vicissim lecti (vt Mãtineæ fit) tamen quòd in consilio deliberandi ius habent atq; decernendi, bene agi secum putant. Et hanc esse formam quandam popularis imperii credẽdum, qualis erat Mantineæ quondam. Quamobrem vtile est ei populo de quo priore loco diximus, & ita mos fuit, vt omnes ius habeant & in magistratibus creãdis, & in reposcendis rationibus, & in dirimẽdis controuersiis, atq; vt summos honores gerãt viri delecti, & ex censu maiore maiores, aut ex censu nullũ, sed ii præsint, qui imperare possunt. Qui sic rempublicam administrant, rem bene gerere necesse est, quia populo volente, nec bonis viris inuidente, semper optimi capessent rẽpublicã, & virtute præditis atq; nobilibus satis erit hoc munus. non enim regẽtur ab aliis deterioribus. & iustè imperabunt, quòd alii iure suo rationem vitæ magistratusq; gesti reposcent. Vtile quidem suspensos teneri qui præsunt, nec facere licere quicquid visum fuerit, propterea quòd licẽtia agendi quod quis velit, innatũ cuiq; vitium cõtinere non potest. Necesse est igitur id quod in ciuitatibus perutile est euenire, vt æqui boniq; viri & insontes non imminuta ciuium potestate præsint. Perspicuum est igitur optimam hanc esse democratiam. in promptu causa est: nempe quòd generis eius est populus. Sũt aliquot leges vetustæ à pluribus latæ, quarum nulla non vtilis ad instituendum populum qui agriculturæ dat operã, vt quæ iubet aut ne quis vsquã possideat agrũ vltra modum lege definitũ: aut si vsquam,

ne tamen

ne tamen à loco designato adusque sedes vrbis & ciuium. Et in multis ciuitatibus quondam lege cautum erat, ne cui primas hæreditates vendere liceret. Est etiam lex quam tulisse fertur Oxylus, cuius est hæc vis, ne quis pecuniam fœneraretur in eam agri partem, quam singuli possiderent. Nunc autē Aphytalorum lege æstimanda res est & corrigenda, quoniam ad id quod dicimus, est vtilis. Illi quidem quanquam multi sunt, & agrum non ita magnum possident: omnes tamen agrum colūt. Non enim fundos quos habent, totos mercede & precio inscribunt, sed in tam minutas particulas diuidunt, vt etiam pauperes æstimationē preciūq; superare possint. Post eam multitudinem quæ exercet agrum, populus est optimus in quo pastores pecuariíque sunt qui ex re pecuaria viuunt. Multa sunt illi cum aratoribus conferenda. Hi consuetudine longa exercitati, & ad bellicos labores apti, & corporibus vtiles sunt, quíque in castris & statiuis ac sub dio durare possūt. Omnis penè reliqua multitudo ex qua cæteri status populares constant, hisce deterior multo, magísque vitiosa. Nam improba vita est artificum sordidorum, & eorum qui vendundis rebus & emundis student, atque illorum qui suas operas mercede locant. nihil hoc genus hominum tractat, nihil agit cum virtute iunctum. Præterea quum versetur omne id genus in foro & in vrbe, facilè, vt verè dicam, coit, & conciones frequētat. Agricolæ quia fusi, sparsi, disiectíque viuunt in agro, non coeunt, nec ita conuētu &

eiuſmodi comitio opus eſt illis. Et vbi talis eſt ſitus loci, vt ager ab vrbe diſtractus longè ſit, ibi democratiam bonam, vtilemq; rempublicam ſtatuere facile eſt, quia plebs in agris viuere coloniarum more cogitur. Itaq; tametſi turba nõ deeſt, quę in forũ negociandi gratia conuenit, tamen nõ haberi cõciones in iis ciuitatibus, niſi ruſtica multitudo paſſim diſiecta coierit, neceſſe eſt. Vt igitur optima ac prima democratia ſtatuenda ſit, expoſuimus. Nec obſcurum quomodo reliquę ſpecies extrui parariq; debeãt. Sequendus eſt ordo, & ad eas progrediendum, quæ degenerauerũt: ſemperq; deterior multitudo ſeparanda. Extremam verò democratiam, propterea quòd omnium ſocietate miſcetur, nec ciuitatis eſt cuiuſq; ferre, nec facilè permanere, niſi legibus ac moribus bene ſit cõſtituta. Diximus autem prius omnia ferè quæ & hanc & alias reſpublicas demoliri ſolent. Ad hanc conſtituẽdam democratiã, & ad populum firmandum, conſueuerũt ii qui præſunt, in numerum ciuium admittere q̃ plurimos nõ modò germanos ac legitimos, verũetiam ex vtrolibet ciue, id eſt patre vel matre natos. Omnes enĩ huic populo magis affines atq; coniuncti. Conſueuerunt igitur hoc modo rem populares duces ſubſtruere. Admittẽdi tamen dum ſuperet nobiliũ & mediocrium numerus: nõ autem progrediũdum lõgius eſt: quia ſi plures ſint plebeii, ordinẽ reip. cõfundẽt, ac magis nobilitatem iritabũt ad ægrè ferendum populare imperium: quæ cauſa fuit cur Cyrene diſcordiã pertulerit. Nam parua improbitas

probitas cõniuentibus oculis prætęritur: magna verò si fit, magis ante oculos obuersatur. Præterea ad istiusmodi democratiã sunt vtilia quędã ex cõposito structa, cuiusmodi vsus est Clisthenes Athenis, quũ democratiã augere vellet, & qui apud Cyrenæos imperiũ populare statuerũt. Plures aliæ conficiẽdæ tribus, & phratriæ ne priuatis sacris dent operã, in pauca atq; publica sunt cogẽdæ, omniaq; cõminiscenda & adornãda, vt q̃ maxime cõmisceãtur omnes, prioresq; cõsuetudines, hoc est cõgressus familiares disiũgãtur ac dissipẽtur. Adde quòd omnia quæ vafrè & maliciosè struunt tyrãni, popularia videntur esse, vt licentia seruorũ, (quæ nõnihil vtilitatis afferre potest, si quibus debet finibus cõtinetur) & mulierũ, liberũq;, vt incuria videndi quã quisq; ducat vitã, quãuis pro arbitrio ducat. Eiusmodi reip. multi fauebũt, quia iucũdius est multis dissolutè q̃ tẽperatè viuere.

LEGISLATORIS autẽ, & eorũ qui remp. generis huius cõstituere volunt, nec summũ munus est nec solum & vnũ officium ciuitatẽ cõstituere, sed potius videre quo pacto maneat ĩcolumis. Nec enim arduum est atq; difficile vnũ diem aut biduũ aut triduum manere statũ rerum, quocũq; modo instituerint cõditores. Opus est igitur videre causas de quibus antè mentionẽ fecimus, vnde respublicæ seruẽtur, & vnde intereãt: ex illis diuturnitatẽ moliri, atq; munire securitatẽ: vitare quę demoliũtur eas: sancire leges & nõ scriptas & scriptas, quæ complectãtur ea maximè quibus rerũpublicarũ salus cõtinetur: non Cap. 4.

arbitrari id esse populare, quod efficit vt ciuitas à populo q̃maxime regatur: nec id in oligarchia magnopere laudandũ, quod rem paucorũ ditiorũ imperio & potestati sũmopere subiiciat, sed id quod hoc aut illud in longissimũ tẽpus firmat imperiũ. Nunc autẽ populares duces & assentatores populi, vt imperitæ multitudini gratificẽtur, multorũ bona de iudicum sentẽtia publicari iubent. Eos igitur quibus summa rerum curæ est, agere cõtrà & obniti par est, atq; legẽ ferre, ne bona eorũ quibus lites æstimatæ sunt, quũ publicãtur, ad populum perueniant, sed ad sacrum. Nam qui iura violant, propterea quòd pares pœnas dabunt, nihilo minus scelus admittere verebũtur: populus autem, quia nihil de bonis reorũ percepturus est, non ita facilè damnabit. Præterea accusationes quæ publicè agitantur, vt quampaucissimæ sint faciendum: prohibendaq; deferendi cupiditas, grauibus pœnis iis qui temerè accusant, irrogatis. nõ enim plebeios sed illustres ac nobiles deferre consueuerunt. Quinetiam ciues omneis reipublicæ beneuolos esse maximè oportet. Sin aliter erit, nõ tamen vt hostes existimare qui præsunt. Quòd autem ciuitates illæ populares quę postremis administrandi rationibus vtuntur, hominũ multitudine sunt frequentes, difficile est cõcionibus adesse, si nulla tribuitur merces. Id verò quibus in locis nulla sunt populi vectigalia, nobilibus viris inimicũ & hostile, quoniã à tributo, & bonorum publicatione, atq; iudiciis iniquis accipi necesse est: quod multos iam populares status euertit.

euertit. Vbi igitur nulla ſunt publica vectigalia, paucæ conciones habẽdæ, & de multis quidẽ, ſed paucis diebus conſtituẽda iudicia. Hoc enim & eò pertinet vt diuites metũ de ſumptibus excludãt, ſi mercedem iudicãdi non accipiant, ſed pauperes. Idẽ vtile quoq; ad melius & æquius dirimẽdas controuerſias. Nã locupletes nolũt dies multos à rebus priuatis abeſſe: nõ inuiti breue tẽpus abſunt. Vbi ſunt vectigalia, nõ id faciundũ, quod nũc duces populares factitãt. Diſtribuunt & vnà percipiunt eam pecuniã quæ tempora neceſſitatis reliquerunt, & eadem rurſus egent. Eſt egentibus hoc ſubſidium quaſi dolium perforatum. At is qui verus eſt populi fautor amplificatórque, videre debet ne paupertate nimia vulgus opprimatur. Hæc enim cauſa, cur improba ſit atq; vitioſa democratia. Excogitanda ratio, & ars inuenienda qua diu permaneat facultatum copia, quandoquidem & diuitibus illud eſt vtile. Quæ percipiuntur ex vectigalibus, cogenda, ac coacta pauperibus diuidenda, ſi modò tam multa cogi poſſint, vt cuique tenuium ſatis ſint ad agellum comparãdum, aut ſaltem ad facultatem negociationis & agriculturæ. Quòd ſi non omnibus diuidi, at in tribus aut in aliam partem ſingulatim diſtribui poſſunt. Quod vt commodius fieri poſſit, diuites ii qui muneri publico vano minimeq; neceſſario præeſſe cupiunt, ad neceſſarios conuentus habendos ſtipendia conferre debent. Carthaginiẽſes quia huiuſcemodi ratione quadam rem ſuam adminiſtrant, populo beneuolo vtũtur & ami-

co. Semper aliquot ex illo viros emittunt in circuniacentes locos, & commisso publico negocio ditāt. Nobilium est hominū, qui apud populū gratiosi esse volunt, & mente præditi sunt, pauperes excipere, & allato præsidio & adiuméto ad quæstuosum laborē cōuertere. Nec est inutile Tarētinos imitari. Illi quidem propterea quòd egentibus vsum rerū suarum communicant, sibi conciliant multitudinē, beneuolámque reddūt. Ac etiam magistratus omneis duobus modis creāt, hos electione, illos sortitione. Sortitione quidem, vt ratio plebis habeatur : electione verò, vt summam rerum melius administrent. Idque facere licet eodē magistratu partito, & aliis delectis, aliis sorte creatis, commisso. Vt igitur res populares constitui debeant, explicatum est.

Cap. 5. EX his planum fit propemodū, qua ratione oporteat imperia paucorū comparare. Ex cōtrariis enim concilianda cogendaq; sunt, & vnaquæq; oligarchia cum democratia sibi contraria cōferenda est ac æstimanda, maximè quæ inter res paucorū moderatione temperata primū locum tenet. Ea quidem est illi finitima, quæ resp. vocatur, in qua diuidendi census, & alii minores, alii maiores æstimādi. Minores, vnde liceat ad necessarios minoresq; magistrat⁹ peruenire. Maiores, vnde prodeāt qui summos & principes gerent magistratus: vt ii quibus est census, ad remp. accedere iure possint, & è censu tanta vis hominum asciscatur ad publicū munus, vt ii qui magistratum gerere possunt, viribus superent eos quibus id non licet.

licet. Aſſumendíque de meliori genere vulgi, reip. participes. Non aliter & oligarchiam proximam cenſu paulum creſcente inſtituere oportet. Ea vero dominatio paucorum quæ extremo deterrimoq; populari imperio opponitur, & qua nulla eſt oligarchia magis imperioſa atq; tyrannica, quanto deterior eſt, tanto eget diligentiore cuſtodia. Vt enim corpora integra valetudine, & nauigia firma & inſtructa, diutius, ſi peccatum eſt, reſiſtunt, nec ſtatim admiſſo vitio corrumpuntur, ægra vero corpora, & exoluta nauigia, atque malis inſtructa nautis, delicta ne minima quidem ferre poſſunt: ſic deterrimæ reſpublicæ diligenter admodum cuſtodiendæ. Populares igitur ciuitates, hominum vis & copia conſeruat. Id enim iuri quod dignitate metimur, opponitur. Oligarchia contrà re bene inſtituta digeſtáque ſeruanda.

PLEBIS auté partes quum ſint quatuor cæteris præſtantiores, agricolæ, artifices, negociatores, mercenarii, quúmque bello ſint vtiles totidem, equites, grauis armaturæ pedites, ferentarii, nautici: vbi campus eſt apertus equis, ibi natura loci poſcit oligarchiam præpotentem conſtitui, quoniam his viribus incolæ ſeruátur: & equos alere nulli niſi quibus eſt res ampla, poſſunt. Vbi locus grauiter armatum peditem expetit, oligarchiam ſecundam ſtatui ſuadet, quia grauis armatura diuitum magis eſt quàm pauperum. Vires autem leuiter armatorum peditum & nauticorum prorſus ad democratiam contendunt. Nunc igitur vbi multa generis huius eſt Cap. 6.

turba,ſi diſcordia ſuboriatur, peius diuites pugnant. Huic autem rei adhibendum remedium, & imitādi belli duces periti,qui viribus equitatus & militis grauiter armati congruentem leuis armaturæ multitudinem copulant. Hac expeditiore multitudine,qui democratiam obtinere volunt,in ſeditionibus opulentos vincunt:quia quum ſint expediti, in equites armatoſq; pedites facilè dimicant. Ex his igitur quū diuites ſibi robur adſciſcūt, in ipſos numero plures adſciſcūt. Atq; opus eſt ætate diſtributa, quum ſint alii ſeniores,alii iuuenes,à patribus florētes ætate filios leuibus & expeditis exercitationibus inſtituendos tradi: & ex his egregios legi, qui certaminibus præſint,& artis huiuſce munera probe calleāt. Prodeſt etiam ius adminiſtrandæ reip. plebeiis hominibus impertiri.aut(vt ante dictum eſt) quum cenſum fuerint adepti,aut(vt apud Thebanos)quū tempore lege definito ſordidas artes reliquerint, aut(vt Maſſiliæ fit)quum cognita cauſa ſententia fertur qui digni ſint adminiſtratione reip.qui admitti,quíque debeāt excludi. Præterea ſummis magiſtratibus, quos obtinere debent ii qui in adminiſtranda rep. verſantur,aliquot rerum curationes adiungendæ,vt iis honoribus plebs carere velit,& ignoſcat imperantibus, vt qui multum imperandi gratia precium perſoluāt. Congruum eſt eos qui principes magiſtratus inierunt,magnifica ſacra facere, & aliquid extruere publicum,vt quum plebs in epulum conuiuiumq; publicum admititur, & ciuitatem donariis & ædificiis

ornatam

ornatam intuetur, lubens præsentem reip. statum videat. Non id verò nunc pauci ditiores qui regnant, sed contrarium factitant. Non enim minus quęstum sectantur, quàm honorem. quamobrem non improbe dicitur, paucorum imperia paruas esse democratias. Vt igitur constitui debeant imperia tum populi tum paucorum, hoc explicare modo licet.

HIS quæ diximus, finitima adiunctáque est non indiligens magistratuū diuisio, quot & qui sint, quibusq; rebus præsint, vti suprà demōstratum est. Nec enim fieri potest vt sine magistratibus necessariis stet ciuitas, nec vt bene colatur, si desint imperia quæ ad composite distincte & ornate viuendum pertinent. Præterea necesse est, vti suprà diximus, in ciuitatibus paruis pauciores, in magnis plures esse magistratus. Quos ergo copulare, quosque separare congruum est, tenendum. Primum igitur adhibenda cura rebus necessariis quæ in foro vęneunt, cui præficiendus est magistratus, qui inspiciat vt pacta conueniant, & vt temporibus & loco opportuna sit rerum digestio, propterea quòd in omnibus ferè ciuitatibus, ad vsum communē, & necessariam vitæ societatem, hæc emere, illa vendere necesse est. Idque maxime accedit ad eam rerum copiam qua nobis opus est, & propter quam videntur homines in vnū conuenisse, & communionē ciuitatis inuenisse. Huic alia cura finitima ac propinqua, quæ ad res vrbanas publicas & priuatas pertinet, vt composite & ornate suo quæq; loco sint: quę ruunt ædificia, erigantur: Cap. 7.

quæ viæ exteruntur, muniantur, & ſeruentur incolumes: vt fines regantur, ne ſit cur vicinum vicinus inſimulet. His adde quæ ſimili genere curæ continẽtur. Hanc præfecturã permulti vocant ἀστυνομίαν, hoc eſt vrbis moderationẽ, cui multæ numero ſunt partes, quibus alios & alios præficiunt in iis ciuitatibus quæ ciuium frequentia maiore celebrantur, vt murorum molitores, fontium curatores, portuum cuſtodes. Eſt alia cura neceſſaria & huic finitima. Eſt enim de rebus iiſdem, ſed ad agrum & prædia ruſtica pertinentibus: cui qui præſunt, ab aliis ἀγρόνομοι, quòd in agris verſentur, & illorum iura deſcribãt: ab aliis ὑλωροί, quòd ſyluas cuſtodiant, nominantur. His in rebus igitur tria ſunt adminiſtrandi genera. Alius eſt magiſtratus ad quem publica vectigalia referuntur, à quo ſeruantur, & vt quæque pars adminiſtrationis exigit, partiuntur. Hoc qui fungũtur officio, coactores & quæſtores vocant. Eſt & alius magiſtratus apud quem pacta priuata ſententiáſque iudiciorum in tabulis publicis perſcribi & in acta referri oportet. apud hunc eundem accuſationes intendi, & iudicia conſtitui neceſſe eſt. Eſt vbi in plures diuidunt hunc magiſtratum. Horum tamen omnium proprius eſt vnus. Vocantur autem ἱερομνήμονες, id eſt ſcribæ iurati: & ἐπιστάται, quia ſunt tabulis publicis præfecti: & μνήμονες, quia res memoriæ produnt, aut quòd monumenta & acta ſeruant. Finitima ſunt his & alia nomina. Qui proxime ſequitur magiſtratus, maxime neceſſarius eſt, atq; omniũ fere difficillimus,

qui pecunias exigat ab iis quibus lites sunt æstimatę, & irrogatæ mulctæ, qui præficiatur cogẽdis mulctis publicis, & in custodiá corpora det, ac in vincula aut carcerẽ cõiiciat. Est hæc administratio molesta, propterea quòd multorum suscipit inimicitias. Vbi igitur magnũ facere quæstum non licet, nulli inducere animũ possunt vt illum gerant magistratum: nec si induxerunt, pro legum seueritate exercere volunt. cæterum necessarius est, quia nihil prodest iudicia fieri, iuraque interpretari, nisi finis imponatur. quòd si neque iura dicuntur, nec exactiones sequuntur, fieri non potest vt societas communioq; ciuium permaneat. Quapropter satius est non vnum hunc esse magistratum, sed ex aliis alii iudiciis constituendi, & vt erunt sentẽtiæ actorumq; præscriptiones antè diuisę, sic, quoad licebit, erunt diuidẽdi. Statuendiq; sunt alii magistratus præterea, qui nonnulla exigant cogantq;: & noui potius, qui latas de rebus nouis sententias exequãtur: quumq; alius de præsentibus damnatoriã sentẽtiam tulerit, alius esse debet coactor, qui mulctas exigat, vt ἀστυνόμοι, hoc est vrbanarũ rerum moderatores, persequantur quæ statuerint ii qui in foro ius dicũt, & alii sint qui vrgeant eos quos ἀστυνόμοι damnauerint. Nam quãto minus erit odium in exactionum præfectos, tanto citius ad finem perducentur executiones. Enimuero quũ damnant iidẽ & iudicatum persequũtur, duplici flagrant inuidia: & quũ de omnibus iidem & iudicant, & pœnas exigunt, hostili odio laborant. Atq; multis in locis diui-

ſa ſunt eorum munera qui maleficos obſeruant, & illorum qui pœnas cõſtitutas repoſcunt, vt Athenis eorum quos vndecimuiros appellant. Quamobrem ſatius eſt & hunc ſeparare magiſtratum, & vti declinet inuidiam, remedium excogitare. Non enim minus eſt neceſſarius quàm qui dictus eſt à nobis. Fit autem vt æqui boniq; viri hunc maxime fugiãt magiſtratum, nec tutum ſit improbos illi præficere: proptereaq́; obſeruatione & cuſtodia magis egẽt, quàm qui alios obſeruare & coercere poſſint. Non igitur vnus ſtatui debet illis principatus, nec idem perpetuo, ſed vbi eſt aut epheborũ aut cuſtodum aut magiſtratuũ inſtitutus ordo, nouos alios & alios hanc ſuſcipere curã oportet. Hæc igitur imperia vt maxime neceſſaria prima ſtatuenda ſunt. Præter hos magiſtratus alii ſunt nihilominus neceſſarii, ſed ampliore ſpecie & honore donati. Opus eſt illis quidem experientia ac fide multa. Huiuſmodi ſunt & qui in cuſtodiẽda ciuitate verſantur, & qui ad bellicos vſus deliguntur. Nam belli paciſq́; temporibus vt portas & muros curent ac tueãtur, ciues enumerent, & in claſſes ordineſq́; diſtribuant, eſt neceſſe. In aliis ciuitatibus magiſtratus hiſce rebus pręfecti ſunt plures, in aliis pauciores, vt in paruis vnus hæc omnia admi niſtrat. Hos vocant duces exercitus, & imperatores. Præterea ſi ſint equites, aut leuis armaturæ pedites, aut ſagittarii, aut copiæ nauales, horum ſingulis ordinibus interdum ſuus eſt magiſtratus. qui præſunt, nauarchi, equitum præfecti, pedeſtrium copiarũ du-

ctores


ctores vocantur: inferiores qui partem regunt, trierarchi, duces manipulares, tribuni militum, & item cæteræ partes. Tota ratio istorum species est vna curæ quæ rei militari dat operam. Sic est hic magistratus. Et quia sunt magistratus, si non omnes, aliqui tamen, qui multa negocia publica administrant, alium statui necesse est qui rationem honoris gesti repetat, & quod erit prauũ corrigat, nihil aliud administret. Hos vocant alii correctores, alii logistas, id est calculi rationumq; præfectos, alii quæsitores, alii patronos siue defensores. Præter hos omneis magistratus est alius omniũ maxime princeps. Ille quidẽ sæpius vectigal & tributũ constituit: aut vbi populus summã imperii tenet, multitudini præest. Oportet enim id cui senatus habendi aut cogendæ cõcionis ius est, primas habere in ciuitate. In republica vocãtur πρόϐουλοι, quòd prius in curia decernãt quod populus sciscat. In democratia nomine consilii potius appellãdi.

Is est omnis ferè magistratuũ ciuiliũ numerus. Est alia curãdi species quæ ad deos pertinet, vt quod obeunt munus sacerdotes, & administri rerũ sacrarũ: vt quæ stant fana ac templa, sarcta tectaq; maneant: quę ruinã minãtur, & vitiũ faciũt, erigantur: atq; alia quę rei diuinæ faciundæ sunt constituta. In quibusdã locis, vt paruis in ciuitatibus, fit vt vna sit hæc administratio, in nonnullis multa sunt & à sacerdotio distincta munera, cuiusmodi sunt sacrificuli, æditui, sacræ pecuniæ quæstores. Hos proxime sequuntur viri sacris omnibus publicis destinati, quę lex sacerdotibus

non attribuit, qui honorem ab epulo publico asse-
quuntur, quos alii principes vocāt, alii reges, alii epu
lones, siue sodalitatū principes. Vt ergo summatim
dicamus, hæc munera sunt necessaria, quæ ad rem di
uinam, ad rem militarem, ad vectigalia, ad expensas,
ad forum, ad vrbem & portus, ad agrum pertinent.
Et item quæ ad iudicia, pacta conuenta, commenta-
rios & acta, exactiones, prȩsidia, rationes, disquisitio-
nes, legem repetundarum, ad extremum quæ ad cu-
riam consiliúmque ciuitatis attinent. Ciuitatibus au-
tem tranquillioribus, ac magis commodè & ex ani-
mi sententia viuentibus, atque etiam venustatis de-
centiæque studiosis propria lex est de mulierum di-
sciplina, de custodia legum, de instituēda pueritia, de
campi magistris, præterea de certaminibus gymnicis
ac scenicis, & siqua alia generis huius spectacula for-
te dantur. Ex his administrandi generibus quædam
certe vulgata plebiq; vsitata non sunt, vt lex de vxo-
rum liberúmq; disciplina, quoniā pauperibus quòd
mancipia non habent, opus est vxoribus & liberis vt
asseclis vti. Quum vero tria sint magistratuum ge-
nera, quorum dignitate censentur amplissimi guber-
natores ac leguntur, vnum eorum qui leges custo-
diunt, alterum illorum qui consilia ad comitium re-
ferenda capiunt, aliud omnium ciuium quibus est
semel decernēdi potestas: primum ad aristocratiam,
secundum ad oligarchiam, tertium ad democratiam
pertinet. De omnibus fere magistratibus ita summa-
tim breuitérque dictum est.

Aristotelis

ARISTOTELIS POLITICON
Liber ſeptimus.



VI de optima republica diligenter pro rei natura indagare contendit, neceſſe eſt vt quę vita maxime ſit expetenda, primùm definiat: propterea quòd hac non perſpecta, quod ſit optimum reip. genus, ignorari neceſſe eſt. Par eſt enim illos qui rem ſuã bene adminiſtrant, niſi quid præter opinionẽ eueniat, optime viuere ex præſentium rerũ facultate. Quamobrẽ principio vti cõueniat quę vita maxime ſit optanda, agẽdum eſt: deinde eadẽm ne ſit publice & priuatim, an alia atq; diuerſa. Quum ſatis multa (opinor) in libris populariter ſcriptis de optima vita diſputarim, illis eſt vtendũ in præſentia. Quòd ſi veritatẽ ſequimur, vna diuiſio eſt de qua nemini dubitare licet, quũ tria ſint bonorũ genera, fortunę, corporis, & animi, hæc omnia beatis ineſſe. Nemo quidẽ beatũ fateatur illum, qui nihil habeat neque fortitudinis, neq; temperantiæ, neq; iuſtitiæ, neq; prudentiæ, ſed timeat muſcas præteruolãtes, à nulla edẽdi bibẽdive turpiſſima cupiditate abſtineat, amicos intimos quadrãtis cauſa interficiat, quiq; nõ aliter mente captus ſit, & veritatis expers, atq; puer infans, aut furioſus. Nullus omniũ, quæ dicimus, eſſe bona inficietur: ſed in quãtitate & exuperãtia diſſentiunt homines. Nã ſatis virtutis habere ſe putãt, quantulũcunq; habeant: at diuitiarum, pecuniæ, poteſtatis, exiſtima- Cap. 1.

tionis,& omnium quæ sunt huiusmodi, infinitum sequuntur incrementũ. Nos iis qui id factitãt, dicemus haud esse difficile hisce de rebus ab effectis argumẽtũ sumere, quũ videamus non à bonis externis virtutes quæri atq; cõseruari, sed externa à virtutibus: & ostẽdemus vitã beatã, siue in gaudio posita est, siue in virtute, siue in vtroq;, potius ad eos pertinere, qui morũ virtutisq; ornamẽtis reliquos superãt, & ad illos potius quibus est externorũ bonorum mediocritas, quàm qui redundãt illis virtute destituti. Enimuero qui viã rationis ineunt, id facilè videre possunt. Nã quæ sunt extra nos, vt instrumẽtũ, fine claudũtur: vtiliáq; sunt omnia quorũ exuperantiã habẽtibus aut nocere, aut nihil prodesse necesse est. At singula animi bona quãto magis excrescũt, tãto magis vtilia sunt, si non illis honesti modò, verũetiã vtilis nomẽ imponendũ. Nec omnino dubiũ est quin dicamus optimã cuiusque rei διάθεσιν, id est qualitatis affectionẽ, siue mobilem qualitatem, eam habere in comparatione consecutionem, quæ excellentiæ rerum inter se distãtium, quarum dicimus has affectiones esse, respondeat. Si animus igitur & bonorum possessione, & corpore, tum absolute tum nobis est præstantior, optimam cuiusq; affectionem necesse est illorum proportioni comparationique respondere. Praeterea hæc animi gratia sunt expetenda, & in eum finem omnes qui sapiunt, expetere debent, non autem propter hæc animus optandus. In singulos igitur tãtum cadere fœlicitatis, quantum virtutis & prudentiæ, atque illius quæ inde profi-

de proficiſcitur actionis, perſuaſum ſit nobis exemplo dei, qui nullo bono externo, ſed ſua ipſius virtute, ſuapteq; natura fœlix eſt ac beatus. Nã & proſperam fortunã propterea aliud eſſe quàm fœlicitatẽ neceſſe eſt, quòd bonorum quę in animo ſita non ſunt, intercidit cauſa fortuna. Nullus eſt autẽ neque iuſtus neq; temperans efficiẽte fortuna, aut fortunæ gratia. Cõſequẽs eſt vt ea ciuitas beata ſit, quæ optima, quæque honeſte agit atq; præclare. quod vt probetur, non aliis rationibus eget. Nec fieri poteſt, vt ii qui non agunt honeſta, bene agãt ac honeſte. Nulla autem neq; viri neque ciuitatis actio bona eſt, ſi virtus abſit atque prudẽtia. Ciuitatis autẽ fortitudo, iuſtitia ac prudentia, nõ aliam vim habet ac ſpeciẽ, quàm ſingulorũ hominũ virtutes, vnde iuſti, prudentes, fortes, temperati nominantur. Sed hæc exordii loco poſita ſint hactenus, vt noſtro de optima rep. ſermoni aditũ faciant. nec enim intacta præterire, nec omneis eorũ rationes proprias explicare, quòd aliud ociũ deſiderant, nobis licet. Hoc quãtumcunq; eſt, nũc poſitũ ſit fundamẽtum, vitam optimam etiam quæ publicè ad ciuitates pertinet, iunctam eſſe cum virtute, cui tãtum rei ſuppetit, vt agere ex virtute poſſit. In hac via rationéque diſciplinæ, relictis contentionibus, qui de rebus hiſce diſceptant, hoc poſtea videre debẽt, ſit'ne qui adduci non potuit vt ea crederet eſſe vera quæ diximus.

SVPEREST explicandum an vniuſcuiuſq; hominis & ciuitatis fœlicitas dicẽda ſit eadem, an nõ? Id autem perſpicuum. Omnes enim eandem eſſe cõ- Cap. 2.

ſentient. Nam quicunq; in vno vitã ſtatuunt beatam, quòd diues eſt, hi quoq; totã ciuitatem ſi opibus abũdat, beatã eſſe exiſtimãt. Et quicunq; tyrannicã vitam habent in ſummo precio, hi quoq; ciuitatem plurimis imperantem dicent eſſe beatiſſimã. Quòd ſiquis vnũ hominem à virtute cõmendat, is & ciuitatem virtute præſtãtem dicet eſſe fœliciorem. Iam duo ſe offerũt, quæ inueſtigatione mẽtis egẽt: vnũ, vtra magis expetẽda vita, an ea quæ in adminiſtratione reip. & ciuitatis communione verſatur, an potius quæ peregrinatione gaudet, vinculo ciuilis ſocietatis exoluta? Præterea quæ reſp. ſtatuenda, & quæ ciuitatis optima cõſtitutio: ſiue omnibus optãda eſt cõmunio ciuitatis, ſiue non omnibus, ſed permultis expetenda. Hoc certe quidem a nobis ſuſceptum munus, nõ quid expetere quiſq; debeat, explicare cõtendit, ſed ad cogitationẽ contẽplationemq; ciuilẽ pertinet. Nos enim hoc nobis inquirẽdũ propoſuimus, nõ illud, quia præter inſtitutũ diceretur: hoc vero munus eſt huiuſce rationis ac doctrinæ. Perſpicuũ eſt igitur, ac neceſſariò cõfitendũ, optimã eſſe rẽp. cuius inſtitutis ciuium quilibet optime agit, atq; beate viuit. Ab iis autem qui vitam cum virtute iunctã præferendã eſſe cõſentiunt, quæſtio affertur, vtra ſit vita potior, an illa ciuitatis & actionis, an illa omnibus rebus externis ſoluta, vt cõtemplationi dedita, quam ſolam philoſophorum eſſe dicunt. Hæc ferè duo genera vitę ornatiſſimi virtute viri & patrum & noſtra memoria ſibi proponere videntur, duo inquam, vnum politicum, alterum

philoſophicum

philoſophicum. Sed non parum refert vtro ſe modo habeat veritas: quia neceſſe eſt eum qui rem bene & prudenter inſtituit, & ſingulos homines priuatim, & publicè ciuitatem ad meliorem ſcopum finemq; dirigere. Sunt qui putãt imperium quo ciues loco iuncti regũtur, ſi illos vti ſeruos premat, ſumma cõtumelia non vacare: ſi vti liberos liberaliter tractet, iniuria quidem vacare, tamen impedimento eſſe quo minus gubernator tranquille, commode, & ex animi ſententia viuat. Horum ſententiæ occurrunt alii, contraque opinantur ſolam actionis vitam ac ciuilem eſſe viri, quòd in vnaquaque virtute priuatis hominibus haud ſint plures agendi opportunitates, quàm laborantibus in commune, & publica adminiſtrantibus. Iſtorum ſic habent ſententiæ. Alii rationẽ imperandi herilem & tyrannicam ſolã eſſe beatam cõfirmãt. Et nonnulli ſunt populi apud quos eò ferũtur leges, vt dominẽtur in finitimos. Ideoq; quũ permultis in ciuitatibus permulta varie fuſeq; (vt ita dicã) legibus ſancita ſint, tamẽ ſicubi ad vnũ quiddã reſpiciũt leges, ad dominatũ quaſi ad ſcopũ ferũtur omnes: hũc petũt, hunc attingere conãtur: vt Lacedæmone & in Creta ad res bellicas omnis fere diſciplina atque legũ multitudo inſtituta cõtendit. Præterea in omnibus gentibus quæ ſuperiores eſſe & amplius imperium tenere poſſunt, hęc in precio fuit poteſtas: vt in Scythis, Perſis, Thracibus, & Celtis. Nec deſunt apud quos leges quędã ad eã virtutẽ ciues incitãt. Ferunt Carthaginienſes accipere tot annulorũ qui foribus appẽdãtur,

ornatũ,quot in bellis ipſi militauerunt. Fuit quondã lex in Macedonia,qua qui nullum interfeciſſet hoſtẽ, capiſtro cingebatur. Apud Scythas quũ ſcyphus in ſolennibus epulis circunferretur,nemini qui nullum interemiſſet hoſtem,bibere licebat. Apud Iberos gẽtem bellicoſam,tot numero ad tumulum columellas erigunt,quot is cuius eſt,occidit hoſtes. Et apud alios alia ſunt huiuſmodi multa partim legibus partim moribus cõprehenſa. Atqui ſi munus eſt hoc eius qui reip. dat operã, proſpicere poſſe quo pacto finitimis velint nolint imperet atq; dominetur,id quale ſit,cõtemplari volentibus,nimis abſurdum forſan videbitur. Nam quî poteſt iſtud aut ciuile aut lege ſanciendum videri,quod ne legitimum quidem eſt? Non autem iuſtũ atq; legitimũ, finitimos imperio ſubiicere non modò iuſte,ſed etiam iniuria. Fieri autem poteſt vt ſubiiciantur iniuria. Sed ne iſtud quidẽ in aliis ſcientiis videmus. Nec enim medici nec gubernatoris officium eſt aut perſuadere,aut vim afferre, illius ægrotis, huiuſce nautis. At pleriq; dominationem ab imperio ciuili nihil differre arbitrari videntur. Quodque ſibi ſinguli neque iuſtum neque vtile eſſe dicũt, hoc in alios committere non verentur. Sibi ipſi iuſtũ imperium quærunt:quum de aliis agitur, iidem iura negligũt. Abſurdũ eſt,niſi ſi hoc ſuapte natura quod dominetur idoneum eſt,illud non item. Quod ſi ita res eſt, conari oportet non in omnia, ſed in ea quæ in dominorum poteſtate voluit eſſe natura, dominari: quemadmodum neque homines venari debemus vt

aut

aut edantur, aut diis mactentur: sed quod his vsibus natura inuestigãdum genuit, id est animal ferum, mẽsis hominum comparatum. Porro autem fieri potest vt sit vna per se fœlix ac beata ciuitas, ea scilicet quæ præclare administratur: quandoquidem fieri potest vt ciuitas bonis vtẽs legibus, sola per se stet, locumq; nullis gentibus interclusum aut peruium teneat, cuius reip. constitutio nec ad bellum nec ad hostes superandos contendet. Fingamus animo nihil esse istorũ. Est igitur perspicuum, omnia quæ ad bellũ pertinent studia, ac omnes quæ eò referuntur curationes, existimandas esse præclaras, non vt extremum summumq; omnium finem, sed illius gratia constitutas. Diligẽtis autem legislatoris est spectare ciuitatem, & hominũ genus, atque aliam omnem bene viuendi societatem, ac videre quibus modis fœlicitatem ciues, quoad eius fieri potest, consequentur. Nonnullæ tamen legitimæ constitutiones different: quod videre debet legum ferẽdarum disciplina, si qui sint finitimi, quæ in quos exercitationum genera comparanda, aut vt officiis in singulos vtendum. At hoc quidem etiam postea reperiet idoneum inquirẽdi locum, ad quem finem debeat optima respublica contendere.

QVOD attinet ad eos qui consentiunt vitam cum virtute iunctam maxime expetendam, sed de vsu vitæ dissentiunt, nobis est disputandũ, ac in vtrosq; dicendũ. Hi quidẽ ciuiles magistratus improbãt, propterea quòd homnis liberi vitã aliã, ac eius qui rẽp. administrat, existimãt, atq; omnium maxime optabi- Cap. 3.

lem. Illi vitam quæ in luce reip. versatur, optimam putant, quia fieri non posse arbitrantur, vt is agat bene, qui nihil agit: & actionū rerumq; prosperos euentus & fœlicitatem idem esse credunt. Vtrosq; partim recte, partim haud recte dicere manifestum est. Quòd illi confirmant hominis liberi quàm domini vitā esse meliorē, id quidem verum. Vti quidē seruo quia seruus est, res est neq; grauis, neque præclara: quoniā ea quæ necessariā curat ac imperat potestas, nihil habet præclari. Existimare tamen omne imperiū esse dominatū, errare est, & à recto deflectere. Nō enim in homines liberos imperiū, ab herili dominatione minus differt, quàm quod est natura liberū, ab eo quod naturaliter est seruū. His de rebus autem satis abūde & copiose primis sermonibus est disputatum. Nec verū est & æquum, maiori laude ociū quàm actionem cōmendare. Est enim fœlicitas, actio. Præterea iustorum hominū actiones & temperantium ad multa ac præclara tēdunt, & eò finis extremiq; referūtur. At fortasse non deerit qui his sic constitutis atque definitis existimet optimū esse vnum omniū imperio potiri, quòd esset eiusmodi prīcipi res plurimas ac pulcherrimas gerēdi facultas. itaq; qui imperiū tenere potest, præterire nō debet, ac propinquo relinquere, sed arripere: neq; pater filiorum, neq; filii patris, neq; prorsus amicus amici rationē habere, nec ea de re solicitus esse, propterea quòd optimū quod est, id expetendum maxime: & optimū est bene agere. Id quidem fortasse vere dicūt, si in auferētibus & vim afferentibus inerit

id quod

id quod omniũ eſt optimũ,ac ſumme expetendũ . At forſitan haud fieri poteſt vt inſit.ſed hoc falſum ſubſtituũt. Non enim iam agere præclara poterit,qui nõ ab aliis tãtum excellẽtia differt, quantũ vir à muliere, pater à liberis , dominus à ſeruis . Qui igitur à recto deflectit,& æquũ prętergreditur,nũquã poſtea tantũ officii perfecti rectiq; facti conſequetur , quantũ iam trãſgreſſione virtutis aberrauit.Honeſtũ iuſtũq; eſt vt viciſſim præſint ſimiles.hoc enĩ par,ac ſimile.Quòd ſi paribus impar, & ſimilibus diſſimile datur, id abhorret à natura . Nihil autẽ pulchrum ac honeſtũ quod eſt præter naturã.Itaq; ſiquis alius atque diſpar ſit, virtute & optimarum rerum effectrice facultate præſtãtior,hunc aſſectari,honeſtum:huic parêre,iuſtum. Nec virtutẽ ſolũ, ſed etiã agendi facultatẽ ineſſe par eſt.At hæc ſi pulchre dicuntur,& fœlicitas actionum proſperitas eſt habẽda,erit optima vita & communiter vniuerſæ ciuitatis , & priuatim ſingulorũ,quæ actione virtutis vſuq; fungetur. Nec id genus vitæ ad aliorũ commoditates, vt nõnulli putãt,referri neceſſe eſt : nec ſolas actionis eſſe cogitationes eas quas animus verſat eorũ gratia quę ex actione proficiſcũtur, & in ſenſum cadunt,ſed multo nagis illas contẽplationes atq; meditationes quę ſua perfectione conſtãt, ſuique gratia verſantur.Eſt agẽdi fœlicitas,extremũ: ergo & actio quædam.Maximeq; proprie dicimus agere,qui vi mentis & intelligentiæ actiones externas architectãtur.Nec vero actione vacare neceſſe eſt eas ciuitates quæ ſolæ ſtant, nullo externorum confinio

interclusæ, quæque sibi hoc vitæ genus delegerunt. nam fieri potest & vsuuenit vt mutua sit actio partium, quoniam partibus ciuitatis inter se multi sunt societatis communionisque modi. Hoc item singulis hominibus inest. Nam vix deus omnisque mundus quibus præter actiones proprias & interiores nullæ sunt aliæ externæ, bene haberent, si aliò omnis actio referenda esset. Nemini dubium est igitur, quin optimam vitam cuiq; homini, & communiter ciuitatibus hominibusque eandem esse sit necesse.

Cap. 4. QVAE modò hisce de rebus diximus, quoniam in exordio posita sunt, & alia rerũpublicarum genera antè contemplati exposuimus, eorum quæ supersunt initium ducetur, si principio dicemus quæ debeant esse fundamẽta principiáque ciuitatis eius cui ex animi sententia constitutio futura est. Nec enim fieri potest vt optima sit resp. nisi quæ sunt opus omnia, quadam conuenientia, quam συμμετρίαν vocant, temperata suppeditant. Multa igitur subiicienda sunt ac velut optato substernenda, quorum nullum suppetere non possit. verbi gratia videndum de numero ciuium, & de loci natura atq; modo. Vt enim cæteris artificibus, vt textori & nauium ædificatori materiam ad efficiendum opus idoneam subiici necesse est, (nam quanto melior est comparata, tanto quod arte conficitur, præstantius erit ac pulchrius) sic conditori ciuitatis & legumlatori propria materia ac idonea subiici debet. Primum copiæ ciuilis est hominum multitudo. hic vidẽdum quot & quales natu-

ra homines

ra homines esse debeant. Et quod ad locum pertinet, prospiciendũ est item quantus & qualis esse debeat. Complures igitur existimant magnam esse oportere beatã ciuitatem. Id si verum est, ignorant quæ magna sit & quæ exigua ac parua ciuitas, quia magnitudinẽ eius incolentium numero metiũtur, quum melius sit nõ multitudinem, sed vires intueri. Ciuitati quidem suũ munus est, ac officiũ: quod quæ maximè peragere potest, ea maxima putanda est: vt Hippocrates nõ homo sed medicus maior est dicendus, quàm qui illũ magnitudine corporis superat. Enimuero si in iudicanda magnitudine spectandus est numerus, nõ quiuis numerus est spectandus, propterea quòd in ciuitatibus fortasse necesse est & seruorum & inquilinorum atque peregrinorum magnum esse numerum: sed eorum habenda ratio, qui sunt aliqua pars ciuitatis, & ex quibus ciuitas suis partibus constituitur. Multitudinis huius excellentia, magnæ ciuitatis est signũ. At ex qua ciuitate sordidi artifices numero multi, milites & viri bellicosi exeunt pauci, ea magna esse nullo modo potest. Non enim res est eadem, magna ciuitas, & populo frequens. Atuero & istud ex officiis planum fit, quia difficile est, & difficilius fortasse quàm quod fieri potest, ciuitatem æquo frequẽtiorem, bonis legibus institui atque gubernari. Earum quidem quæ rem præclare administrant, nullam videmus effusam, nimiúmque multitudini patentem. idque planum fit rationum fide & probatione. Nam quum lex quoddam sit institu-

tum, necesse est statum legum bonarum esse bene descriptam ac decoram constitutionem. at numerus nimium multus ordine & instituto componi regiq; nō potest. Hoc enim munus diuinæ potestatis, quæ quidem hanc mūdi vniuersitatē cōtinet. Quòd autē pulchrum in multitudine & magnitudine esse cōsueuit, illā ciuitatem esse pulcherrimā necesse est, cui magnitudo, & is de quo diximus multitudinis est modus. Sed & ciuitatibus est aliqua magnitudinis mēsura, vt aliorum omnium, animantiū, stirpium, instrumētorū quidam modus est certus. Etenim horum singula aut nimiū parua, aut æquo grandiora, suam vim non tenebunt, sed interdum prorsus natura exuentur, interdū male habebunt: vt nauigiū magnitudine quatuor digitorum, non erit omnino nauigiū, nec quod erit duo stadia longum: & ad iniustam magnitudinē perductum, nunc paruitate, nunc immodica mole vitiabit nauigationem. Non aliter & ciuitas quæ paucioribus continetur, non sibi satis est. quæ cōstat nimium multis, necessaria quidem veluti gens, non vt ciuitas, suppeditat. Non enim tam magna rationē administrandi facilè capit. Nam quis erit dux & imperator auctæ supra modum multitudinis? aut quis erit in ea præco non Stentorius? Necesse est igitur eā ciuitatem esse primam, quæ tanta multitudine hominū constat, quanta primū satis est ad bene viuendum in cōmunione ciuili. Fieri potest vt quæ hanc multitudine superat, sit maior ciuitas, sed hoc (vt diximus) nō est infinitum. Vbi vero exuperantiæ statuendus sit

terminus,

terminus,facile est ex officiis cognoscere,quia sunt actiones & officia ciuitatis alia magistratuum,alia priuatorũ. Magistratus officium est iubere,& iudicare. Vt autem ius dicatur, vtque magistratus distribuantur pro dignitate, ciues inter se qui sint, cognoscere necesse est. Nam vbi id fieri nequit,necessario & magistratus & iudicia perperam constituuntur. Nec vero licet in vtrisque temere quicquam committere,& inconsiderate:quod in nimium multa hominum frequentia fieri perspicuum est. Accedit huc,quòd peregrinis, profugis, aduenisq; facile est irrepere in ciuiũ numerum,& vnà cum illis rep.frui, propterea quòd aucta multitudine præter modum,nõ est difficile latere. Perspicuum est igitur hunc esse modum ciuitatis optimum, copiam multitudinis tam frequentem, vt sibi satis sit ad tuendam vitam, & videri facilè cognoscique possit. Hoc igitur modo ciuitatis magnitudo finiatur.

HVC propè accedit locus & ager,eademq; penè ratione cõtinetur. Nã si de qualitate illius agitur, nõ est dubium quin omnes eum laudẽt,qui abunde sufficere potest.vt sit huiusmodi, vberem esse omniumq; rerum feracẽ necesse est. Etenim omniũ rerũ copia, nullius inopia est cõmoditas satis multa, αὔταρκες vocatur. Multitudine vero ac magnitudine tantus esse debet, vt incolæ liberè simul & temperatè viuere,& opera illiberali vacare possint.hoc autẽ bene an male dicamus,postea diligẽtius & accuratius erit videndũ, quum de toto genere possessionis bonorum,& afflu- Cap. 5.

entiæ rerum dato disputationis loco mentionem faciemus, & ostendemus quonam pacto quóque modo rebus debeamus vti. Quum enim de ea re quæritur, multæ sunt cõtrouersiæ, quòd a medio deflectũt homines ad extrema, & ad vtranq; vitæ immoderationem, alii ad sordidã parsimoniã, alii ad delicias atq; luxuriam. Quæ autẽ species loci probãda sit, arduũ nõ est ac difficile explicare. Nõnihil bonis imperatoribus ac peritis est credendum, accessu difficilẽ hostibus, egressu facilẽ ciuibus esse oportere. Præterea vt hominũ multitudinem cõspectu facilem esse debere dicebamus, sic & agrũ dicimus. Est autem cõspectu facilis ager, cui subsidium minimo negocio submittitur. Quòd si ex animi sententia ciuitas collocatur, & ad mare & ad terrã commodè iacere debet: cuius vna ratio à nobis est exposita. nam quò subsidia mittantur, omnium locorum cõmunis esse debet. Alter est finis, vt qui nascuntur fructus, transferantur. Est alius etiã, vt materia ac lignum, & siquid aliud generis eius manu parãdũ regio præbet, facilè portetur aut vehatur.

Cap. 6. DE maritima cõmunione, vtilisne sit ciuitatibus quæ bonis legibus sunt institutę, an verò perniciosa, multæ sunt cõtrouersiæ. Tum enim venire peregrinos aliis educatos legibus, & versari inter ciues, inutile ad tuẽdum bonarũ legum statum. atqui ingẽtem hominum turbã (cogi quidem ex cõsuetudine & vsu maris, dimittẽtibus ac recipiẽtibus negociatores multos ciuitatibus) bene administrandę reip. facultati ex aduerso repugnare confirmant. Hæc si non accidũt,

satius

ſatius eſſe vrbem & agrũ maritimis rebus vti,tũ propter ſecuritatem , tum propter eorum quæ deſiderat vſus, copiã, manifeſtũ eſt. Etenim quo facilius hoſtes ſuſtinere ciuitas poſſit,opus eſt vt qui ſeruãdi ſunt,iis ſubſidio copię nauales & pedeſtres facilè mittãtur,& ſi qui imminẽt & aggrediũtur hoſtibus nocere velit, nec vtroq;,terra ac mari poſſit,at certe quod obtinet vtrunq;, altero facilius nocebit. Et quæ ciues nõ habẽt apud ſe,importare:& quibus abundãt,exportare eſt neceſſe.Sibi quidẽ non aliis negociari,vendere & emere ciuitas debet. Qui vero omnibus ſuũ forũ patefaciũt,id quæſtus gratia faciũt.Quòd ſi hac immodica habẽdi cupiditate vacare debet ciuitas,eiuſmodi nundinationẽ quæſtuoſamq; negociationẽ repudiet. Nam & nunc videmus multis & agris & vrbibus nauium ſtationes ac portus ſcitè & cõmodè ſitos commercii cauſa adiacere.Itaq; perſpicuum eſt nec vrbem ipſam impertiri , nec locum dari longinquiorem,ſed muris & aliis eiuſmodi propugnaculis propinquum muniri oportere.Nã ſi quid boni ex eo commercio forte euenerit,hoc ciuitati acquiretur.ſiquid incommodi,nõ erit difficile cauere legibus,exprimere & definire qui miſceri inter ſe debeant, quiq; nõ debeant. Nec dubium eſt quin optimum ſit habere naualẽ facultatem certo aliquo numero definitam.Non enim modò ſibi, verumetiam finitimis & metum & opem ferre poſſe vt terra ſic & mari bonum eſt. Iam poteſtatis huius multitudo magnitudoq; vt vitæ ciuitatis conſentiat , videndum.Etenim ſi vitam ducet impe-

riosam,& reip.administrationi deditam,necesse est & hanc potentiam rebus gerendis pari moderatione respondere. At hominũ frequentiam quę turba nautica constat,in ciuitatibus esse nõ opus est.Hæc enim nulla pars ciuitatis esse debet. Quæ portatur hominũ manus libera,ac ex pedestribus copiis est,ea principatum obtinet,atque nautis imperat. Quum accolarum qui bello domiti & in seruitutem redacti circùm habitant,& agricolarum frequentia est,non potest non esse copia nautarum. Id & nunc in nonnullis ciuitatibus videmus esse,vt in Heracleotarũ ciuitate. Multas enim triremes implent, quanquam ciuitatem obtinent magnitudine cæteris contractiorem. In hunc modum de agro,de portubus, de ciuitatibus & mari atque nauali potestate nostra sit exposita sententia. De ciuium multitudine, quo fine quóque modo cõtineri debeat,antea diximus.

Cap.7. NVNC autem disserere volumus, quales esse natura ciues expediat. Hoc propemodum perspicere licet, si respicias ciuitates Græcorum quæ bene audiunt, & hominum sermone celebrantur, & si ad vniuersum orbem terrarum, vt est gentibus distributus, referas mẽtem. Nam frigidis in locis gentes, quæque tenent Europam,plenę quidem sunt animi,sed intelligentiæ minus habent & artis : quapropter diutius liberæ perstant : at imperitæ sunt administrandæ reipublicæ,nec finitimis imperare possunt. Quæ Asiam incolunt, animo sunt perspicaci,& ad artes aptæ,nõ item fortes & animosæ,quamobrem sub imperio &

seruitute

ſeruitute permanēt. Genus autem Græcorum, ſicut medium eſt inter vtroſq; locos,ita particeps eſt amborum. Et animoſum eſt, & ingenioſum. Quapropter & liberum permanet, & optime ciuitatem adminiſtrat,ac vnam obtinens remp. omnibus imperare poteſt. Eandem quoque differentiam habent inter ſe nationes Græcorum. Aliis enim natura ad vnum modò horum quaſi membrorum accommodata eſt, aliis ad hanc vtráq; facultatem bene temperata. Perſpicuum eſt igitur eos & ingenioſos & animoſos na tura eſſe oportere,qui ſe legiſlatori ad virtutem dociles exhibebunt. Nam quod aiunt quidam, hoc cuſtodibus ineſſe debere, vt in notos amico ſint animo, in ignotos fero & immiti: vis illa præſtans animæ, eſt quæ parit amicitiam. Ea quidem eſt animæ facultas, qua beneuoli ſumus,& amamus. Eius rei ſignū eſt quòd in familiares & amicos acer animus,qui ſe neglectū & contemptum putat,q̄ aduerſus ignotos & alienos magis attollitur. Ideoq; Archilochus inſimulás amicos,apte & cōgrue ſermonē vertit ad animū,

Preſſúsne ab amicis extinguebare?

Ab hac animæ facultate capiūt omnes imperium atque libertatem, quia res eſt & imperioſa, & inuicta. Nec pulchre dicitur oportere cuſtodes aduenis & ignotis aſperos & moleſtos eſſe. Nemini quiſquā tam aſper eſſe debet: nec viri magnanimi natura ſunt feri & acerbi,niſi in eos qui afferūt iniuriam. Hoc etiā modo(id quod ſupra demonſtratum eſt)grauius afficiuntur in familiares, ſi ſe lædi iniuria arbitrantur.

S

Nec temere istuc accidit. A quibus enim sibi iure deberi beneficium existimãt, ab iis eo se priuari, & praeterea iniuria affici iudicant. vnde vulgatum est prouerbium, Fratrum cõtentiones acerbæ: & qui supra modum amauerunt, iidem quoque supra modũ oderunt. De ciuibus igitur qui ad remp. contendũt, aut in commune conspirant, quot & quales natura esse debeant, qualis & quantus ager expetendus, propemodum definita sententia est. Nec enim tam quæsita ac numeris omnibus absoluta definitio est eorum quæ in sensum cadunt, quàm quæ ratione probantur atque demonstratione.

Cap. 8. VT autem in iis quæ natura constant, nõ omnes illæ sunt partes totius concreti, sine quibus haud potest esse totum, sic perspicuũ est non esse statuendas partes ciuitatis, quæcũq; ciuitatibus necessariæ sunt, nec vllius alterius cõmunionis ex qua vnũ cõflatur genus. Iis enim quibus est cõmunitas, siue pari siue impari parte donãtur, aliquid vnũ & cõmune & idẽ esse debet, siue hoc exempli gratia alimentũ est, siue agri quantitas, siue aliud huiusmodi. Quum vero aliquid est alterius gratia, & aliud, ad quod illud refertur, nihil horum est commune: at illi facere, huic accipere ius est. verbi gratia, omnis instrumenti ad opus efficiendum comparati, & artificis, nihil est commune. Nam domus & architecti nihil est commune, sed ars architectorũ gratia domus est cõparata. Ita fit vt opum facultatibus ciuitas egeat, nec vlla sit pars ciuitatis illa rerũ copia: ac multa animis prædita ac viua sunt

ſunt partes eorum quæ poſſidentur. Ciuitas autem ſocietas eſt ac cõmunio ſimiliũ quædã, gratia vitæ q̃ fieri poteſt optimæ. Et quoniã fœlicitas ſummũ bonum eſt, quę actione virtutis & vſu quodã vero perfectoq; cõſtat, & ſic accidit, vt alii ſuſcipiant & obtineant illam, alii parũ aut nihil eius habeãt, perſpicuũ eſt hanc eſſe cauſam cur ciuitatis diſtinctæ ſint ſpecies atq; differentiæ, cúrque plures habeantur reſpublicæ. Id alio modo aliiſq; rationibus ſinguli quũ venantur & captant, alia viuendi & remp. adminiſtrandi genera conficiunt. Eſt autem vidẽdum quot ſunt eæ res, quæ ſi deſint, ciuitas eſſe non poſſit. Etenim quas dicimus ciuitatis eſſe partes, in his rebus neceſſariis ducendæ ſunt. Colligendus eſt igitur rerum parãdarum numerus. Ex illis enim planum fiet quid ciuitas omnis deſideret. Primum eſt opus alimento, deinde artibus, quia vita multis eget inſtrumentis. Tertio loco ſunt arma. Nam quibus eſt reipublicæ ſocietas, iis neceſſaria ſunt arma, & quibus vtantur magiſtratus ad eos compellendos qui parêre nolunt, & quibus externorum iniuria ac impetus coerceatur. Habenda præterea pecuniarum copia & ad priuatos & ad bellicos vſus. Eſt etiam quintum atque primum, quod ad deorum cultum pertinet, ſacerdotium ſacrificiúmq; vocant. Adde & ſextum numero, & omnium maxime neceſſariũ, cõſilium & iudiciũ, quo decernãtur vtilia, & iura dicãtur. Hæc ſunt igitur quibus eget (vt vere dicã) ciuitas omnis. Nã ciuitas (vt dicimus) eſt hominũ multitudo nõ quouis

modo coacta, sed ea quæ sibi satis est ad viuendum. Quod siquid horum desit, quæ coierit societas, plane sibi satis esse non poterit. Itaque pro rerum gerẽdarum necessitate statuẽda ciuitas. Multi igitur esse debent aratores & agricolæ, qui in alimento parando versentur, artifices multi, propugnatores, opulenti, & qui necessaria ac vtilia decernãt senatores, consiliarii, ac iudices.

Cap. 9. HIS definitis restat vt videamus an omnes omniũ horum debeant esse participes. Etenim fieri potest vt iidem omnes sint & agricolæ, & artifices, & cõsiliarii ac iudices. an singulis his rebus alii præficiendi, an ex his alia propria, alia cõmunia necessario sint? Id autẽ nõ in omni rep. Vt enim diximus, fieri potest vt omnibus omnia, & non omnibus omnia, sed aliis alia communicentur. Illa quidem alia rerumpublicarum genera efficiunt. Nam in ciuitatibus quæ à populo reguntur, omnibus omnia partiuntur. In iis vero quæ paucis ditioribus obtemperant, contrà paucis omnia. Et quia animo quærimus optimam rei administrãdæ rationem, & illa fœlicissimam reddit ciuitatem, dictũmque prius est fœlicitatem sine virtute esse non posse, perspicuum est in ea ciuitate quæ pulcherrime administratur, & viros habet simpliciter & absolute, non ex hypothesi & quodammodo bonos & iustos, non oportere ciues sordidis artibus ac vili nundinatione victitare, propterea quòd ignobilis & abiecta ac virtuti contraria est istiusmodi vita. nec agricolas esse futuros ciues, quia

ad

ad virtutem comparandã, & ad ciuiles actiones ociũ necessariũ est. Quòd autem pars illa quæ rei militari dat operam, & ea quæ consilia de commodis & vtilitatibus capit, & ea quæ iura interpretatur ac iudicat, in ciuitatibus inest, & hæ tres potissimùm videntur earum partes, vidẽdum, iisdém ne ambo munera tribuenda, an aliis alia. Videre facile est iisdem quodãmodo & diuersis quodammodo attribui oportere. Nam qua ratione vtrunq; munus alterius est ætatis, & alterum prudentia, alterũ viribus eget, aliis & aliis tribuenda sunt hæc negocia. Quà vero fieri nequit, vt ii qui vim afferre, aut illatam propulsare possunt, ferant perpetuos magistratus, eatenus eisdem sunt hæc munia committẽda. Quibus enim data sunt arma, iis est potestas aut confirmandi aut mutandi statum reip. Restat igitur, vt ea respublica vtriq; ordini tradatur, non vno & eodem tempore, sed vti natura fert. Iuniores viribus, seniores prudẽtia valent. Prodest igitur ac ius est duabus his ætatibus arma ac consiliũ partiri. Hæc enim diuisio quod dignitatis est obtinet. Enimuero opus est his rem suppetere, quia ciuibus opũ facultates deesse non debent. Hi autẽ ciues. Nam qui sordidis artibus dant operam, non habentur ciues, nec vllum genus aliud, quod virtutis opus non exercet. Id planũ fit ex proposito. Fœlicitas enim sine virtute esse nõ potest. At quũ fœlicẽ dicimus ciuitatem, non eius aliquam partem, sed ciues omneis respicere debemus. Perspicuũ est igitur fortunas & facultates illorũ esse oportere, si necesse est

agricolas ſeruos eſſe, aut barbaros, aut accolas in ſeruitutem redactos. Ex iis quos enumerauimus, reliquum eſt ſacerdotum genus, quorum manifeſtus eſt ordo. Nec enim agricola, nec illiberalis ac ſordidus artifex ſtatuendus eſt ſacerdos, quum debeant ciues venerari deos, & eorũ ſacra generi ſeruili non committere. Quum vero ciues in duas diuiſi partes ſint, quorum vna armorum, altera cõſiliorum habet poteſtatẽ, & oporteat miniſtrare diis, atq; in re diuina quieſcere viros quibus ociũ longo tempore negatũ eſt: ii merito ſacris faciũdis præficiẽdi ſunt. Diximus ea quæ ſi deſint, ciuitas non conſtat, quotq; ſint partes ciuitatis. agricolarum enim & artificum, ac totũ genus inopum & mercenariorum ciuitatibus eſt neceſſarium: ſed partes ciuitatis duæ, vna quæ in armis, altera quæ in conſiliis verſatur. Et horum generum quodq; ſeparatum eſt, hoc ſemper, illud viciſſim.

Cap. 10. CIVITATEM ſeparatim in genera diſtribuẽdam eſſe, & aliud pugnatorũ, aliud agricolarum genus eſſe oportere, neq; nunc, neq; nuper intellexerunt ii qui de ratione adminiſtrandæ reip. philoſophantur. Sic etiã nunc res eſt Aegyptiorũ, atq; Cretenſiũ. Ita enim (vt aiũt) Seſoſtris Aegyptiis, Minos Cretenſibus legem tulit. Vetus autem eſſe videtur ſodalitatũ conſtitutio. Nam Cretenſia conuiuia Minoë regnante fieri cœperunt, Itala verò ſunt his longè antiquiora. Narrant qui illic habitant viri hiſtoriæ & antiquitatum periti, Italum quendam fuiſſe regem Oenotrię: ab eo pro Oenotris Italos nomi-

ne

ne mutato appellatos, & oram maritimam Europæ quæ eſt inter ſinum Scylleticum & Lameticum (quæ loca diſtant iter vnius diei dimidiati) nomen Italiæ accepiſſe. Hunc Italum ferunt Oenotris qui paſtores eſſent, agriculturam tradidiſſe, & alias quidem leges eis tuliſſe, & ſodalitates inſtituiſſe primum. Ideóque nunc etiam ſunt qui publicis epulis & nonnullis ab eo conſtitutis legibus vtuntur. Incolebant autem partem quæ ad Tyrrheniam vergit, Opici qui antea, & nunc Auſones cognomine vocantur. Eam vero quæ ad Iapygiam & Ionicum pertinet, (Syrtis vocatur) Chaones tenebant. Erant autem Chaones Oenotri genere. Hinc igitur primũ inſtitutæ ſodalitates prodierũt. At ciuiũ partitio genere diſtincta manauit ex Aegypto. Seſoſtris enim regnũ longe antiquius eſt quàm Minois. Et alia ferè omnia longo tempore ſæpius, aut infinito potius inuenta fuiſſe credendum eſt. Nam ab egeſtate & vſu neceſſaria inueniri & oſtendi credibile: quibus inuẽtis par eſt ea quæ ad ornatũ affluẽtiamq; pertinent, accipere incrementũ. Sic & reſpublicas repertas & auctas eſſe credendũ. Inſtituta reip. eſſe prorſus antiqua indicãt res Aegyptiorũ. Hi quidẽ antiquiſſimi vidẽtur eſſe, & leges habuerunt, ac ciuilem conſtitutionẽ. Vtendũ eſt igitur iis quæ antiqui ſatis cõmode tradiderũt. quæ præterierũt, inquirẽda. Eorũ quibus eſt ius armorũ, & quorũ ciuitas eſt cõmunis, agrũ eſſe oportere, ſupra demonſtrauimus: & cur inter eos alii debeant eſſe agricolæ, ac qualis

& quantus ager habendus, oſtendimus. Iam de agri diuiſione, & qui qualeſq; eſſe debeant aratores, primùm diſſerendum. Quia neque communem eſſe bonorum poſſeſſionem, vti dixere nonnulli, ſed vſu cõmunicari, vt ſocietas & amor ciuium poſcit, nec vlli ciuium deeſſe alimentũ, oportere dicimus, & omnes cenſent ciuitatibus bene conſtitutis vtiles eſſe ſodalitates, (cur idem nobis quoque videatur, poſtea dicemus) quúmque ciues omneis earum participes eſſe oporteat, nec facile ſit pauperes è priuatis rebus quod ſtatutum fuerit tributum ferre, & aliam adminiſtrare domum, atq; etiam quum ſumptus in deos communiter à tota ciuitate fiant: in duas partes agrũ diuidi neceſſe eſt, & alteram eſſe communem, alterã vero propriam: & harum vtrãq; rurſus in duas diuidi partes, vt cõmunis & publicæ altera pars ad deorum cultus & ſacrificia, altera ad expenſas ſodalitatum pertineat: propriæ vero & priuatæ pars altera ſeruiat iis qui colũt agros longinquiores, altera vrbanis: vt duabus vnicuiq; partibus diſtributis, vterq; locus omnibus partiatur. Tum enim ſeruatur hoc pacto æqualitas ac iuſtitia, & maior in finitima bella concordia. Vbi nõ ita fit, alii parum metuũt eas quæ finitimorum ſuſcipiuntur inimicitias, alii nimis auxie vitant, ac præter decorum. Sunt igitur ciuitates quibus eſt lex, ne extremi & finitimis populis contigui admittantur in conſilium de ſuſcipiendo in finitimos bello, vtpote qui vtilitate priuata ducti rectũ & vtile conſilium dare non poſſint. Hiſce de cauſis,

ſic

ſic vti diximus, ager eſt diuidẽdus. Quòd ſi cultores agri dentur ex animi ſentẽtia, ſerui maximè deligendi, qui nec eiuſdem tribus & ordinis ſint, nec iracũdi & audaces. Vtiles erunt hoc modo ſubeũdo labori, quieti, rerúmque nouarum minimè cupidi. Proximi ſunt his accolæ barbari, ac ſecundo loco expetẽdi, ſi ad eam quam diximus ſeruorum naturam proximè accedãt. Ex his eos qui priuati ſunt, in priuatis agris verſari, & eorum eſſe qui res priuatas obtinẽt, oportet: qui publici, in agro publico. Quo pacto debeamus vti ſeruis, & cur omnibus illis ſatius eſt preciũ proponi libertatem, poſtea dicemus.

VRBEM & continentis & maris itemq; totius agri (quoad eius fieri poteſt) cõmunem eſſe oportere ſuprà demonſtratum eſt. Quum ipſa per ſe conſideratur, ſic eius eſt ſitus expetendus, vt quatuor obſeruemus. Primum, vti neceſſe eſt, valetudinẽ. Nã quæ ad auroram vergunt vrbes, & ad eos ventos qui ab oriente ſpirãt, ſalubriores ſunt: deinde quæ ad aquilonẽ, vtpote quæ facilius frigus & hyemẽ ſalubrem admittũt. Quod ſupereſt, obſeruandũ vt ſit opportunè ſita ad ciuiles & bellicas actiones. Belli gratia faciles exitus ciuibus eſſe debent, hoſtibus difficiles aditus & obſeſſiones. Atq; maxime debet eſſe vis & copia natiua aquarum fontiumq;: quæ ſi nõ ſuppetit, abundantia tamen reperiatur, ſi pluuiæ receptacula magna & aquis affluẽtia comparentur, ſic vt ex agro cõpulſos ab hoſtibus in oppida ciues nũquam deficiant. Quòd autem habẽda ratio valetudinis in- Cap. 11.

colarum, quæ ſitu loci commodo, & qualitate cœli, deinde aquarũ ſalubriũ vſu iuuatur, hoc quoq; diligenter eſt curandum. Quibus enim rebus abunde & frequenter vtimur in curãdo corpore, illæ permultum iuuant ſanitatem. Ea vis eſt aquarũ, ventiq; natura. Itaq; ſi non omnes ſunt aquę ſimiles, nec abundant ſalubres : in ciuitatibus quæ ſapienter rem administrant, ſeparãdæ diſtinguendæq; ſunt, & aliæ ſeorſim ad alimentum, aliæ ad alios vſus conferendæ. Quod ad munita loca attinet, non omnibus rerũpublicarum generibus ſimilis eſt vtilitas: vt acropolis, id eſt locus editus ac munitus in ciuitate, vtilis eſt paucorum ditiorum & vnius dominationi: planities & locus æquabilis, imperio populari: neutrum adminiſtrationi optimorum, ſed multa potius loca firmiſſima. Aedium priuatarũ conſtitutio iucundior & accommodatior ad alias actiones exiſtimatur, ſi aditus habet faciliores, modumq; recentiorem & hippodamiũ ſeruat: contrà ad bellicas defenſiones atq; tuendos ciues vtiliora ſunt ædificia qualia habuerũt veteres. Eſt enim illa collocatio domus, exitu difficilis externis, & abdita ac inuẽtu moleſta oppugnare cõtendẽtibus. Opus eſt igitur vtraq; ædificandi ratione ciuitatibus. Id enim fieri poteſt ſiquis eo conſtruat modo, quo ſolent agricolæ quas vocãt aliqui vinearum συστάδας, id eſt ordines & cõſtitutiones. Nec tota ciuitas aditu facilis eſſe debet, ſed aliquot in partibus ac locis. Hoc enim modo & ad ſecuritatem & ad ornatum compoſitior erit. Qui verò dicunt muros

ab iis

ab iis ciuitatibus quæ virtutem ſunt adeptæ, haberi non oportere, nimis antiquè ac imperitè iudicant: quum videant re ipſa ab iis improbari, quę illo inſtituto ſibi gloriam captarunt. In ſimiles quidẽ, & hominum copia nõ ita multo præſtantiores hoſtes, vti munimento murorũ, & eo præſidio petere ſalutem, nec pulchrum eſt, nec laudabile. Quia verò accidit & vſuuenit interdũ, vt qui irruunt hoſtes, longè ſuperent humanã ac pauciorum virtutem, ſi petenda ſalus, & fugienda calamitas ac contumelia, munitionẽ murorum firmiſſimã, ad ſuſtinendũ bellum optimã eſſe hoc maximè tẽpore, ſubtiliter inuentis ad obſidiones telis ac machinis, credẽdum eſt. Nã qui mœnia ciuitatibus non eſſe circundãda putat, ſimilis eſt eius qui agrum acceſſu facilẽ eſſe, locoſq; montanos auferre, & nullos priuatis ædibus parietes circũdare, quòd alioqui molles & effœminati ſint futuri qui teneant eas, vult. Enimuero non hoc quidem ignorandũ, iis qui vrbi mœnia circundederũt, licere vtroque modo ſuis oppidis vti, & vt habentibus muros, & vt non habẽtibus: iis verò quibus mœnia deſunt, haud licere. Quod ſi ita eſt, non vrbi ſolùm circũducendi muri, ſed etiam tam diligenter extruendi, vt & ornamento ſint ac decori ciuitati, & bellicis vtilitatibus cum aliis tum nuper inuentis ſubſeruiant. Vt enim aggredientibus curæ eſt, inuenire quibus modis ſuperiores euadent, ſic & iis qui ſe ſuáque tueri volunt, vtendum præſidiis, quorum alia ſunt reperta, alia quærenda, ac ratione ſapientiaq; reperien-

da. Nam quos pulchrè munitos paratósque vident, eos aggredi principio non contendunt.

Cap. 12. QVOD autem in ſodalitatibus & publicis epulis multũ ciuium numerũ ſeparari atq; diſtribui, muróſq; cuſtodiis ac turribus locis opportunis intercipi ac dirimi neceſſe eſt, planè res eò prouocat, vt in cuſtodiis illis ſodalitates aliquot præparentur. Hæc igitur ſic deſcribere licet. Quæ rebus diuinis ſacræ ſtatuuntur ædes, ampliſſimaq; magiſtratuum conuiuia, aptum tenere locũ decet, & in eodem fieri ſacra, quæcunq; vel lex vel aliud oraculũ atq; reſponſum ſeparatim non excipit. Is autẽ locus aſſignari poteſt, quiſquis eſt conſpicuus atq; dignus in quo virtus ſatis honeſtè collocetur, quíq; munitior vicinis partibus vrbis immineat. Sub eum locũ pulchre ſtatuitur forum iudiciale, cuiuſmodi celebre ferunt in Theſſalia, quod liberum vocant. Illud eſt quod omnino rebus venalibus vacare debet, nec admittere artificem, nec agricolã, nec alium quempiam generis eius qui à magiſtratibus nõ ſit vocatus. Eritq; gratior locus, ſi in eo ſeniorum gymnaſia fuerint ordine cõſtituta, propterea quòd gymnaſiorũ conſtitutio ætatibus diuidi accommodariq; debet. Et inter iuniores oportet nõnullos magiſtratus verſari, inter magiſtratus autem nõnullos ſeniores. Nam præſentia magiſtratuum, quum verſatur ante oculos, verum pudorem, liberalemq; timorem maximè gignit. Aliud eſſe forum rerum venalium opus eſt, cui ſeorſum locus ſit conuentu facilis & iis quæ vehuntur è mari, & iis

omnibus

omnibus quæ portantur è terra. Quòd autē ciuium multitudo diuiditur in ſacerdotes & in magiſtratus, decet epulas ac conuiuia ſacerdotū ad ſacra ædificia conſtitui. Sodalitates autē magiſtratuum, quorū cura verſatur in pactis conuētis, in accuſationibus criminum, in denunciādis iudiciis, dieq; dicendo, & alia ſimili adminiſtratione, prætèrea in conſtituēdo mercatu rerum venalium, in ea quæ vocatur ἀςυνομία, ad forum, & locū quò promiſcuè concurrūt homines, parandæ ſunt. is autē locus eſt circa neceſſariū forū. Nam quod ſuperius ſtatuimus, hiſce negociis vacare, hoc verò neceſſariis rebus accōmodari volumus. Eandem rationē & eundē ordinem ſeruare debent municipes, & qui in agro verſantur. Etenim magiſtratibus illic agentibus, quos alii vocāt ὑλωρὺς, id eſt ſyluarū cuſtodes, alii ἀγρονόμυς, hoc eſt vel ruſticanos, vel aſſignatores agri, loca cuſtodiæ cauſę ſodalitatéſque neceſſariæ ſunt. Atq; etiā fana ac loca ſacra, alia diis, alia heroibus diſtributa ager habere debet. Sed hic immorari, & de his ſubtiliter & exquiſitè diſſerere, hominis eſt ocioſi. Nō enī difficile iſta cognoſcere, ſed facere arduū magis, propterea quòd diſſerere, optionis eſt: euenire, fortunę. In pręſens tēpus igitur quod hiſce de rebus amplius agi poteſt, omittatur.

DICENDVM nobis eſt de ipſa rep. quibus ex rebus qualibúſq; debeat ea conſtare ciuitas, quæ fœlix eſt futura, atq; ſummā rei ſapiēter adminiſtratura. Nam omnibus in rebus duo ſunt in quibus ratio bene agendi poſita eſt: alterum in ſtatuēdo rectè Cap. 13.

ſcopo, proponendóq; fine rerum agendarũ: alterum in reperiendis iis rebus quæ agendæ ſunt vt perueniatur ad extremũ. Hæc enim & conſentire inter ſe & diſſentire poſſunt, quia nõnunquam ſcopus rectè poſitus eſt, ſed in actione qua eò peruenitur, peccãt homines. Interdũ conſequuntur omnia quæ ad finẽ extremúmq; referuntur, ſed improbũ ſtatuerũt finẽ. Aliquãdo in vtroq; peccant, vt in arte medicinæ. nec enim interdũ recte iudicãt quale debeat eſſe corpus ſanum, nec ad eum quẽ propoſuerunt finem, opera neceſſaria aſſequuntur. In artibus autem ſcientiiſq; vtrunq; obtinẽdum, & extremum, & intermedium actionum munus. Omnes quidem certè manifeſtò expetunt bene beatéq; viuẽdi genus, ſed aliis eſt obtinendi poteſtas, aliis (aut fortuna aut natura impediente) non eſt. Eget enim aliqua rerum copia vita beata: ſic tamen, vt melius affectis minorẽ, peius habentibus maiorem ſuppetere ſit neceſſe. Alii, tametſi nõ deſunt facultates, haud tamẽ cõtinuò recte quærunt fœlicitatem. Quum ſit igitur noſtrũ inſtitutum optimam ciuitatis adminiſtrãdę rationẽ cognoſcere, & optima ſit ea ratio qua ciuitas optimè regetur: optimè autem regetur illa quæ efficiet vt maximè ſit beata: perſpicuum eſt ignorari nõ oportere quid ſit fœlicitas. Dicimus in libris de moribus (ſiquid habẽt vtilitatis illæ diſputationes) fœlicitatẽ eſſe actionem, ac perfectum virtutis vſum, & eum ſimplicem & abſolutum, non quodammodo perfectum. Dico quodammodo perfectum, qui verſatur in rebus neceſſariis,

cessariis: simplicem, qui in honestis atq; præclaris: vt in exercenda iustitia quæ iure irrogantur pœnæ & animaduersiones, à virtute quidẽ prodeũt, at necessariȩ sunt, & iccirco honestȩ, quòd necessariȩ. Optabilius quidẽ certè nihil istorum desiderari, nihil esse necessariũ neq; viro neq; ciuitati. Sed quæ moderantur honoribus atq; opibus, honestissimæ sunt actiones. Alterũ genus agendi est expugnatio mali: at secundi generis actiones, contrá. extructiones enim bonorũ sunt & effectiones. Vir bonus & paupertate & morbo, & aliis casibus aduersis bene vtetur, sed in contrariis est beatitudo. Hoc enim definitũ est in sermonibus de ratione morũ, eum esse bonũ, cui beneficio virtutis bona sunt, & ea simpliciter bona. perspicuumq; est eos virtutis vsus bonos & honestos simpliciter esse oportere. Quamobrem putãt homines externas facultates esse beatitatis authores, non aliter atq; siquis splendidè & pulchrè canẽdi fidibus causam dicat esse lyram potius quàm artem. Necesse est igitur (si vera sunt quæ diximus) alia bona ciuitatis suppetere, alia comparari à legũlatore. Optamus igitur vrbi & ciuitati situm opportunũ, & affluentẽ rerum quarũ domina fortuna, copiam. Illã quidem principem dominámq; facimus: at efficere bonã ciuitatem, non iam fortunæ, sed sciẽtiæ consiliiq; munus est. Enimuero bona ciuitas est quũ boni sunt ii ciues quibus impartiũtur remp. omnibus autem ciuibus impertimur remp. Hoc igitur vidẽdum, quomodo vir bonus fiat. Etenim si vsuuenit vt omnes

ſint boni, nõ autem modò ſinguli ciues, id hoc modo optabilius. Alterũ enim, ciues vniuerſos eſſe bonos, ſequitur illud, ſingulos eſſe bonos. Optabilius autem quod poſterius, ac maius. At uero tribus rebus boni probíque fiunt, natura, vitæ conſuetudine, ratione. Nam primùm neceſſe eſt, vt hominem, non vt aliud animal naſci, & ita certa aliqua conſtitutione corporis & animi præditum eſſe. & ſunt quibus ita naſci nihil prodeſt, propterea quòd moribus immutantur. *Sunt* enim quæ natura in vtrãque partem pariter inclinãt, ſed morũ conſuetudine aut in peius aut in melius proniora redduntur. *Sanè* cæteræ animantes genere viuẽdi naturam maximè ſequuntur, perpaucæ educationem atq; mores. At homo etiã ratione viuit, quia ratione ſolus vtitur. Hæc igitur ſibi conſonare eſt neceſſe. Nam multa præter mores atq; naturam agũt homines adducti ratione, ſi aliter agi melius eſſe ſibi perſuaſerint. Quales igitur natura eſſe debeant ii qui legumlatori facilè obtemperabũt, ſuprà demonſtrauimus. Reliquum eſt vt iam de ratione diſciplinæ diſputemus. Diſcuntur enim moribus recepta, & quæ viua voce tradũtur.

Cap. 14. ET quia ex iis qui imperãt, & iis qui parent, ciuilis omnis ſocietas eſt conſtituta, id quidẽ videndum, debeãnt ne cõmutari qui tenent imperiũ, & qui obtemperãt, an iidem in omnem vitã permanere. Nam ſine controuerſia diſciplinam cõſequi, ac illi diuiſioni reſpondere erit neceſſe. *Si* tantum igitur inter ſe differrent, quãtum deos & heroas ab hominibus diſtare

ſtare

ſtarè arbitramur, (qui primũ corpore, deinde animo lõgè antecellunt) & ita nemini dubiũ eſſet nec obſcurum, quãto præſtarent ductores iis quibus præeſſent, ſanè melius eſſet ſemper eoſdẽ manere, & illos omni tẽpore imperare, hos verò parêre. Quòd autẽ excellẽtiam tantã cõſequi facile nõ eſt, nec iam tẽpus fert (vt inquit Scylax in Indis) vt reges adeò ſuperẽt eos quibus pręſunt, perſpicuũ eſt multis de cauſis omnes, æquato iure ſocietatis, ĩperare viciſſim & parêre oportere. Tum enim ius idẽ ſimilibus æquatur, atq; remp. præter iuſtũ cõſtitutã manere difficile eſt. Omnes enĩ ruſtici coeũt cum iis qui regũtur & parẽt, rerũ nouarum cupidi. Tot verò numero præeſſe reip. quot hãc omnẽ multitudinẽ ſuperare poſſint, vnũ quiddã eſt eorũ quę nullo modo fieri poſſunt. At verò magiſtratus ab iis quibus præſunt, differre oportere nõ ambigitur. Vt hæc erũt, & quibus modis cõmuniter agẽt, debet videre legũlator. de ea re antè dictũ eſt. Oſtẽdit natura delectũ, quum eoſdẽ genere ipſo fecit hos iuniores, illos natu maiores: ex quibus illos obtẽperare, hos ĩperare decet. Nemo grauiter fert qui minor ætate paret, nec præſtare ſe opinatur, maximè quũ viciſſim vbi aduentarit ætas, ſit idẽ beneficiũ ſuſcepturus. eos igitur qui pręſunt, & eos quibus præſunt, & eoſdem & diuerſos eſſe, itemq; diſciplinã & eandẽ & diuerſam, fateri licet. Nã (vulgata eſt ſententia) qui bene imperaturus eſt, eũ paruiſſe prius, eſt neceſſe. Eſt autẽ imperiũ (vti primis ſermonibus explicauimus) vnum quod ad imperantẽ, alterũ quod ad obtẽperãtem refertur. illud herile, hoc liberale dicimus. Differunt &

imperata quædã, non operum labore, ſed fine. Multa ſunt igitur quæ operã miniſtrorũ iuuenũq; poſcere vidẽtur, quæ nõ inhoneſtè liberi poſſunt adminiſtrare, propterea quòd actiones ſuapte natura nõ tã differunt honeſto & inhoneſto, q̃ fine, & eo gratia cuius exercẽtur. Quòd autẽ ciuis & imperãtis eandem eſſe virtutẽ ac optimi viri, & eundẽ parêre primũ, deinde imperare oportere cõfirmamus, laborare debet ac cõtendere legiſlator, vt inueniat qua ratione & quibus inſtitutis efficiãtur boni viri, quíq; ſit finis optimæ vitæ. Animus autẽ diuiſus eſt in duas partes, quarũ altera ex ſe rationẽ habet, altera ex ſe nõ habet, ſed rationi auſcultare poteſt. Harũ partiũ dicimus eſſe virtutes eas vnde quodammodo vir bonus nominatur. In vtra potius ſtatuẽdum ſit extremũ, ii planè explicare poſſunt, qui ſic animũ diuidũt, vt nos. Sẽper enim deterius ad id quod melius eſt, refertur, ac propter illud poſitum eſt. quod eodẽ modo perſpicuum eſt & in iis quæ arte, & in iis quæ natura conſtãt. Præſtãtius autẽ meliusq; eſt id quod ratione prǫditũ eſt, & hoc ĩ duas partes eſt diſtributum, qua diſtributione ſolemus vti. Eſt enĩ alia ratio actionis, alia cõtẽplationis. Sic igitur pars diuidenda, & æqua proportione actiones diſtribuẽdæ. atq; partis eius quæ natura melior eſt, expetẽdæ magis actiones ab iis qui aut omnes aut duas cõſequi poſſunt. Id enim cuiq; maximè ſemper expetẽdũ, quod obtinere ſummi viri ſummæq; virtutis eſt. Sed & omnis vita in negociũ & ocium, in bellum pacemq; partita. Rerumq; gerẽdarũ quædã ſunt vtiles atq; neceſſariæ, quædã conſpicuæ & honeſtæ, in quibus eũ-

dem

dem esse delectũ qui est in animi partibus, & earum actionibus, est necesse. Nam bellũ pacis ergó, negocium ocii causa, necessaria ac vtilia propter honesta petere debemus. Hæc igitur omnia sunt ei videnda qui ciuitatẽ instituit, legesq́; ferẽdæ & pro animi partibus, & pro actionibus illarum, sed meliora ac extrema spectãda magis. Eodem modo & in vitæ generibus, & in rerum diuisionibus est cauẽdum. Opus est ènim in ciuilibus negociis & in bellis posse versari, sed pacem & ocium potius agere, necessaria ac vtilia facere quidẽ, sed honesta magis. Ad hæc igitur proposita disciplina cõuertẽda est & eorum qui nõdum excesserunt è pueritia, & aliarũ quæ disciplinæ egent ętatum. Nunc autẽ Gręci qui summã rerum optimè videntur administrare, & qui respublicas eorũ instituerunt legũlatores, neq; instituta ciuitatis ad meliorem finem vertisse, neq; leges atq; disciplinã ad virtutes omneis direxisse mihi videntur: at ridiculè declinarunt ad eas quæ putãtur vtiles esse, & ad violẽtas opes imperiumq́; tyrannicũ propius accedũt. Accedit huc quorundam qui postea scripserunt, sentẽtia. Laudãt enim rem Lacedæmoniorum, propositumq́; legislatoris admirãtur, quòd leges omneis ad dominationem bellúmq; conuerterit. Sed ista facilè refelli ratione possunt, & iam rebus ipsis sunt refutata. Vt enim multi multis dominari cupiũt, quòd hinc multa suppetunt fortunæ commoda, ita Thibro & alii omnes qui de Laconũ rep. scribunt, vidẽtur admirari illum qui tulit his leges, quòd laboribus & periculis exercitati, multis imperarũt. Etenim manifestũ est,

(quoniam excidit imperiũ Laconũ) nec eos esse fœlices, nec legumlatorẽ bonum fuisse. Hoc ridiculum præterea, si quũ legibus eius starẽt, nemoq; esset impedimẽto quo minus legibus vterẽtur, laudabile viuendi genus repudiarunt. Nec rectè concipiunt animo quale sit imperiũ, quod legumlator videri debet habere preciosum. Nã herili dominatu pulchrius est imperium liberorum, ac virtuti coniũctius. Præterea non eò ciuitas habẽda fœlix, nec laude efferendus est legum cõditor, quòd suos vincere docuerit vt finitimis imperarent. Hoc quidẽ non mediocre damnum dare potest. Nullus enim dubitat, quin ciuis potens tentet hoc consequi, vt suæ ciuitati imperare possit: quod crimen Lacedæmonii obiiciunt Pausanię regi, tametsi qualẽ isti commẽdant, obtinuerat honorem. Nulla quidem certè ratio nullaq; lex eiusmodi ciuilis est, nec vtilis nec vera. Nã quæ res & priuatim & publicè sunt optimæ, has in animos hominum inducere debet legumlator. Nec iccirco à ciuibus pugnãdi ratio debet exerceri, vt eos qui non meruerunt, redigant in seruitutẽ: sed primũ ne aliis seruiant ipsi, deinde vt principatum quærant qui obtemperantibus sit vsui, non vt omnes dominatione premere velint. Præterea vt sint eorũ domini qui ad seruiendũ sunt idonei. Porrò autem legislatori studẽdum potius, vt propter ocium pacẽmq; leges de bellicis aliisq; rebus ferat, nõ rationes solùm testimonio sunt, verũetiam qui rationibus cõsentiũt euentus. Nã ciuitates eiusmodi permultæ, quo tẽpore bella gerũt in hostẽ, manent incolumes: vbi verò imperiũ sunt adeptæ, labefactãtur

factãtur ac pereunt, quia dum pacis ocio quiescunt, haud aliter atq; ferrũ splẽdore deposito rũbiginẽ cõtrahunt. Author est huiusce rei legislator, qui nõ ita ciues instituit, vt quieti viuere, & ocio frui possent.

QVVM finis idem & cõmuniter & singulatim hominibus propositus esse videatur, quũq; sit necesse idem extremum statui & optimo viro, & optimæ reip. perspicuũ est eas virtutes quę ad ociũ tendunt, in rep. inesse oportere. Finis enim (vt sæpe dictũ est) pax quidẽ belli, ocium verò negocii. Vtiles autẽ ad ocium vitãq; traducendã virtutes eæ sunt, & quarũ vsus est in ocio, & quarũ in negocio. Nam multa necessaria sunt habẽda, vt in ocio liceat esse. Ciuitatem igitur & temperantẽ, & fortem, laborumq; patiẽtem esse oportet. Vt prouerbio fertur, ociũ nullũ seruis. Qui autẽ fortiter pericula subire non possunt, rediguntur in eorũ qui impetu facto vicerũt, seruitutẽ. Opus est igitur fortitudine atq; tolerãtia in rebus gerendis, sapiẽtia in agenda quiete, temperãtia ac iustitia hoc & illo tẽpore, & magis iis qui pace fruuntur ac ocio. Nam bellũ ad iustitiam temperantiamq; nos adigit. at vsus prosperæ fortunæ, & ociũ cũ pace, petulantes, cõtumeliosos, & confidenter improbos magis reddit. Multa igitur opus est iustitia multaq; temperãtia iis qui viuere ex animi sententia, & omnium rerum quæ fœlices & beatos faciũt, copia frui vidẽtur, vt si qui sunt (quemadmodũ poëtę ferunt) in insulis fortunatorum. hi quidem maximè egebunt sapientia, tẽperantia, ac iustitia, ac eò magis, quòd ocio fruũtur in abũdãtia taliũ bonorũ. Cur igitur ciuitas Cap. 15.

ea quæ fœlix ac bona futura eſt, has habere virtutes debeat, perſpicuum eſt, quū turpe ſit bonis rebus vti nō poſſe, ſed eos q negocia tractāt, ac bella gerūt, bonos videri: q ſunt ī pace & in ocio, mācipiis ac ſeruitiis cōparari. Debēt igitur (nō vt Lacedęmonii) virtutē exercere ciues. Nec eò ab aliis differunt illi, quòd nō eadē quę cęteri ſumma putēt eſſe bona, ſed quòd exiſtiment illa vna aliqua virtute quæri. Planū fit ex his hæc bona pacis eſſe maiora, & horū fructū virtutib9 iis quæ ad illū referūtur, anteponēdū. Id quo pacto & quibus inſtitutis cōparetur, vidēdū eſt. Ac tripartita fuit diuiſio noſtra, vt diceremus opus eſſe natura, more, ratione. Quales autē natura ciues debeāt eſſe, ſuprà demōſtrauimus. Reliquū eſt vt videamus erudiēdí ne ratione prius ſint, an moribus. Hæc enī ſibi optimè cōſonare & cōſentire debēt, quia vſu uenit vt ratio ab optimo propoſito deflectat, ac eò morū ſimilitudine ducatur. Hoc certè quidē manifeſtū eſt, hic vt in aliis rebus, ortum rei ex aliquo principio duci, & ad finē & extremū ab aliquo principio, quò tēdebat aliud, perueniri. Nobis autē ratio mēnſq; naturæ finis eſt. Ad hæc igitur informādus eſt ortus, & exercēda morum cōſuetudo. Deinde, vt animus & corpus duo ſunt, ſic & animi duas partes videmus, vnā rationis expertē, alterā ratione præditā: & harū duos habit9 numero, appetitū, atq; mētē. Vtq; corpus quū gignitur homo, prius eſt anima, ſic & pars quæ ratione caret, prior eſt ea quæ rationis eſt particeps. Id quoq; perſpicuum eſt: Ira, voluntas & cupiditas, non ita multo poſt ortum puerulis ineſt, ratio verò

&

& mẽs ætate prouectis innaſcitur. Corporis igitur q̃ animi cura prior eſt ducẽda, deinde curãdus appetitus. Nã propter mentẽ curamus appetitum, propter animum corpus. Itaque ſi ab initio legiſlator videre debet vt erũt optima eorum qui aluntur, corpora, primò habenda ratio cõiugii, quot annos nati, qualéſque debeant inire connubii ſocietatem.

QVVM de matrimonii ſocietate leges ferũtur, Cap. 16. legiſlator & eos qui iũgi volũt, & tẽpus vitæ intueri debet, vt ætatibus idonei cõueniãt in eãdẽ maturitatẽ: & ne diſcrepẽt facultates, vt ſi iã vir gignere poſſit, fœmina non poſſit, aut cõtrà. ex his diſſenſiones inter eos atq; diſcordiæ. Deĩde prouidere debet quo pacto cõmodè ſuccedãt liberi. Nec enĩ bonũ eſt liberos in ætatũ curſu longius à patribus relinqui, propterea quòd ea gratia quã liberi parentibus referre debẽt, ſenioribus eſt inutilis: & quã patres opẽ ferre ſolẽt, tũ liberis deeſt. nec interuallo breuiore ſuperari, quia nõ mediocres hinc oriũtur moleſtiæ. nã pudor eiuſmodi liberis, vt æqualibus, minor eſt, & in œconomia querulũ atq; litigioſum quod propĩquũ. Pręterea (quandoquidẽ vnde principiũ ducebamus, huc peruenimus) faciũdũ, vt eorũ qui gignũtur, corpora volũtati legiſlatoris accõmodẽtur. Hæc omnia ferè vna adhibita cura accidũt. Nam quum gignendi finis extremus (vt de eo quod ferè ſemper euenit, loquamur) ſit cõſtitutus, viris quidem annorũ ſexaginta numerus, mulieribus verò quinquaginta: initium coniugii ex ætatis inæqualitate debet ad ea tẽpora deuenire. Eſt autem adoleſcẽtium coniunctio

ad procreandos liberos improba. In cūctis animantibus iuniorū parētum ſoboles, ac magis fœmina, debilis & īperfecta, atq; ſtatura formaq; parua. neceſſe eſt igitur hoc idem & hominibus accidere. Huiuſce rei ſignū certum & neceſſarium: In quibus ciuitatibus cōſuetum eſt ac patrium adoleſcētulos & adoleſcentulas matrimonio copulari, in iis corpora immatura, debilia, paruáque ſunt. Præterea grauius in partu laborāt immaturæ puellę, & plures intereunt. Propterea Trœzeniis cōſulentibus oraculū, datum reſponſum ferūt in hanc ſententiā, multas quòd intempeſtiuæ nuberēt, interire, nō quòd immaturi fructus inferrētur. Præterea ad tēperantiā vtile eſt ætate prouectiores collocari. Intēperātiores enim vidētur eſſe, quę iuniores operā veneri dederūt. Et mares ſi coeant quo tēpore corpus augetur, ſunt impedimēto quo minus creſcat. Etenim cōſuetudinis huius definitum quoddā tēpus eſt, quo non melius ac præſtātius id quod poſtea plenū atq; perfectū. Virgines igitur decimooctauo ętatis anno, mares triceſimoſeptimo aut circiter iungi par eſt. Tum florentibus ac validis corporibus erit cōiugiū, & ita labētibus annis vnà venietur opportunè ad naturalē procreādæ ſobolis vacationē. Adde quòd cōiuges eiuſmodi ſuſcipient liberos qui ſibi cōmodè ſuccedāt, alios ineunte flore ætatis, ſi q̄primū, vt rationi conſentaneū eſt, gignātur, alios quū fractior ætas ad annū ſexageſimū obrepet. Quo tēpore ætatis ineūda ſit cōiugii ſocietas, explicauimus. Hoc autē cōſuetudinis vinculū, vt

anni tẽporibus multi qui mẽte atq; ratione momẽta comprehenderunt, bene vtũtur & opportune, debet hyeme cõiungi. Iã ad liberos procreãdos opus est parẽtes futuros animo perquirere & quæ à medicis, & quæ à naturalibus philosophis dicũtur. Nã medici tẽpora corporibus opportuna satis ostendũt, & physici de ventis & flatibus satis multa loquũtur, qui aquilones austris præferũt. Quę vero corpora nascẽtibus vtilissima sint, intentiore animo explicabũtur in sermonibus de puerorũ disciplina. Nunc summatim dicere sat est. Habitus athletarũ nec vtilis est ad eam corporis cõstitutionẽ quæ ciuilibus negociis est accõmodata, nec ad bonam valetudinem, nec ad liberûm procreationem, nec ille qui incommoda valetudine laborat, ac nimis est impatiens laborũ, sed istorũ medius. Comparãdus est igitur habitus exercitatus, nec laboribus violentis exercitatus, nec vni modò labori, vt Athletarum, sed hominum liberaliũ actionibus assuetus. Hæc autem similiter habẽda viris & fœminis. Prægnantibus sua curanda sunt corpora, desidia fugienda, alimento tenui debiliq; non vtendũ. Id minimo negocio perficiet legislator, si iusserit, mulieres adeptas honorem concipiendi, cottidie prodire, & loca sacra diuini cultus gratia inuisere. Mentẽ cõtrà remissius agere q̃ corpora, verũ est. Vt enim stirpes alimentum capiunt è terra, sic fœtus vtero clausi matris alimento fruuntur. De liberis exponendis & educandis feratur lex, ne quis alat corpus mancum, fractum, debilitatum & inutile. Et si morum instituta prohibẽt ne quis partus exponatur, ne supra mo-

Legendum uidetur ἐγκύμους

dum ſoboles increſcat, definiendus eſt numerus liberorum. Quod ſi qui præter legem dent operam liberis & gignant, antè faciundus abortus, quàm ſenſus & vita ſit infuſa. Erit enim ſanctum & inuiolabile, quod ſenſus & vitæ finibus includetur. Quòd autem tempus ætatis eſt definitum, quo primùm vir & vxor inire coniugiũ debeãt, definiatur & hoc, quàm multos annos inſeruiendũ ſit reip. & liberi procreãdi. Nam ſeniorũ proles, vti iuniorũ, corporibus immaturis ac mentibus aliquid deſiderat: & qui conſenuerunt, infirma gignunt. & ea de cauſa mẽtis & intelligẽtiæ vi præditi gignãt. hæc in permultis eſt, quã poetarũ nõnulli, qui numero ſeptenario metiebãtur ætatẽ, dixerunt ad annũ quinquageſimũ peruenire. Itaq; qui quatuor annis aut quinque ſuperant hanc ætatẽ, ab vſitata liberûm procreatione liberos eſſe, & in reliquũ tempus aut valetudinis gratia, aut alia ſimili cauſa congredi videri par eſt. Conſuetudo vero cum alia vxore, aut cũ alio viro, omnino turpis eſto, ne vſquã liceat vllo modo non ſuã ſuumve cõtingere, quũ ſit & appelletur maritus. Quòd ſi quẽ quo tempore datur opera liberis, aliquid tale committere planum fiat, is ignominia digna ſcelere notetur.

Cap. 17. LIBERIS natis, magni intereſſe putandum quo veſcantur alimento, vt corporum ſibi comparẽt vires. Qui cætera animalia contemplantur, & gẽtes eas quibus eſt curæ ſemper accommodare bello corpora, iis maxime proprium & familiare lactis, quum implet, alimentum videtur, ac magis ſi, ne inde morbi gignantur, nihil adhibeatur vini. Prodeſt etiã motus

tus agitari quotquot ſunt in illius ætatis poteſtate. Et
ne mébra propterea quòd tenera ſunt, diſtorta fiãt,
vtuntur & nunc nonnullæ gentes inſtrumentis ad
eos vſus fabricatis, quæ faciũt ne corpus ea deformi-
tate peruertatur. Vtile eſt etiam ſtatim à prima pue-
ritia frigoribus aſſueſcere. id enim & ad bonã vale-
tudinẽ, & ad labores militares perutile eſt. Quãobrẽ
mos eſt barbaris multis, his quidẽ infantes demer-
gere in amnẽ frigidũ, illis vero, vt Celtis, paruũ tegu
mentũ circundare. Quibus homo aſſuefieri poteſt, iis
omnibus ſtatim ab initio illum aſſueſcere melius eſt,
ita vt ſenſim paulatimq; fiat acceſſio. Habitus autem
puerorũ, quòd viget in eo flore calor innatus, ad fri-
gorum conſuetudinẽ natura propenſior eſt. Primæ
igitur ætati & illi proximæ hanc adhibere diligentiã
prodeſt. Aetas huic finitima ad annos quinque, quã
nec ad vllũ diſciplinę genus, nec ad labores neceſſa-
rios, ne ſint impedimento quo minus augeatur cor-
pus, adigere debeas, tantum debet exercere motũ, vt
corporũ ſegnitiẽ deſidiamq; fugiat. motus autẽ con-
citãdus & aliis rebus gerẽdis, & ludo: debentq; ludi
eſſe neque illiberales, neque laborioſi, neq; remiſſi.
Quos autem ſermones quáſque fabulas audire bo-
num ſit hanc tantulam ætatem, videant ii magiſtra-
tus quos Lacedæmonii παιδονόμους vocant, hoc eſt di-
ſciplinæ legúmque pueritiæ moderatores. Nam de-
bent hæc omnia munire viam ad ſtudia futura: quã-
obrem pleroſque ludos imitationes eſſe futuræ ve-
ritatis, ſtudiiq; ſeueri, prodeſt. Contentiones vocis, &
clamores qui ſpiritu vehemẽter intẽto eliduntur, vt

ciulatus, pueris improbè denegant ii qui vetant legibus, quandoquidem augendis corporibus prosunt, & illa quodámodo agitant ac exercét. Spiritus enim contentio laborantibus addit vires: quod & puerulis in animæ contentione necesse est contingere. Videndum quoque pædonomis, vt hæc & alia vitæ institutio quamminimum cum seruis erit. Hanc quidē ætatem ad annos septem ali domi necesse est. Aequũ est igitur & tantulos ab auditionibus & spectaculis illiberalium rerum atque verborum amoueri. Atque cum omnem aliam, tum verborum turpitudinē à legislatore prorsus ciuitate exterminari Nam licentiæ quiduis turpe & inhonestum loquendi, proxima est turpiter agendi proteruitas. Cauendum igitur ne quid huiusmodi à primis annis vel loquátur, vel audiant. Quòd si quis aut verbis aut factis ausus erit in vetitum, is conuictus, si liber est quidem, nondum tamen dignus existimatus qui in sodalitates vocaretur, ignominiis plagisq; puniēdus. si prouectior ætate, quia seruili more peccauit, illiberalibus ignominiis est notandus. Quum quid huiusmodi obscœne fœdeq; dictum ciuitate exterminamus, manifestum est & nos vetare, ne quis aut picturas aut fabulas spectet fœdas & impudicas. Itaq; magistratus curare debent, nequa sit in ciuitate aut statua aut pictura turpitudinis atq; fœditatis imitatrix, nisi apud illos deos quibus lex petulantiá lasciuiamq; ridiculá attribuit. Hic permittit viros pro se, pro liberis & vxoribus sacra facere, & venerari deos. Atq; ferenda lex est, quæ mollioribus annis interdicat iambotũ comœdiarũq;

spectaculo,

ſpectaculo,quoad eò ventum ſit ætatis, in qua ad ſodalitia vocari,& iam cõmunibus epulis frui licebit: omnesq; diſciplina cõfirmabit,ne & ebrietate capiãtur,& iis quæ ab huiuſcemodi rebus oriuntur incõmodis.Hæc in præſentia curſim diximus: poſtea intẽtiore animo fuſius explicãda res erit,& quærẽdum quid primo loco diſcendũ,quid non, quóque pacto diſcendum.Ea de re mẽtionem fecimus, vt hic locus neceſſario poſcebat.Nec perperã fortaſſe Theodorus actor tragœdiæ quiddã ſimile dicebat, qui nemini vnquam permiſit agere ante ſe,etiamſi viles eſſent hiſtriones:quaſi primis auditionibus facilius cõciliẽtur ii qui ſpectãt.Idẽ vſuuenit & in hominum & in rerum conſuetudine.Nam prima queq; magis amamus.Quamobrẽ vitia omnia à pueris alienãda ſunt, illa maxime quæ ſcelere & inimicitiis continentur. Exactis annis quinq;,tum proximis ad ſeptimũ vſq; duobus conſiderandũ quibus diſciplinis operã dare, & quas eos ſcientias diſcere vtilius erit.Nã duæ ſunt ætates quibus inſtitutionẽ & diſciplinã partiri neceſſe eſt,ab anno ſeptimo ad pubertatẽ, & rurſus à pubertate ad annum viceſimũ primum. Qui ſeptenario numero diuidunt ætates,plerunque perperam dicunt.quamobrẽ naturæ diuiſionem ſequi debemus, propterea quòd omnis ars atque diſciplina id quod à natura relictum eſt, explere contendit. Itaque videndum primum,ſtatuendúm ne ſit aliquid de pueris,deinde vtrum ſuſcipienda ſit eorum cura publice,an,quod & nũc fit in permultis ciuitatibus, priuatim;& tandem quod eſſe debeat inſtituendi genus.

ARISTOTELIS POLITICON

Liber octauus.

Cap. 1.



EMINI sanè dubium est, quin legislator id maxime curare debeat, atque rationes inuenire, quibus instituatur pueritia. Etenim quum ciuitates hoc negligunt, capit resp. detrimẽtum. Singulæ pro natura sua debent administrari, propterea quòd vnumquodq; reip. genus more suo proprio & seruari, & ab initio constitui solet: vt ratione populari democratia, vtq; suo genere administrandi paucorum dominatio: semperq́; modus optimus administrationis, reip. melioris est author. Atq; etiam in omnibus facultatibus artibúsque comparãdis præmeditari ac prædiscere, necnon antè singulis exercendis assuescere necesse est. Perspicuum est igitur & virtutis actiones esse prædiscendas, in vsumq́; ducendas. Quòd autem finis est vnus omni ciuitati, nemini dubium est quin vna & eadem esse debeat omnium disciplina, & quin huius cura publica sit, haud priuata, queadmodũ cuiq; nunc sui curæ sunt liberi, quos priuatim priuatam quam censuerit disciplinam docet. Cõmuniũ verò cõmunis exercitatio: simulq; nemo ciuiũ suum se debet existimare, sed omnes ciuitatis esse. Est enim quisq; particula ciuitatis: & quæ singulis cura atq; diligẽtia adhibetur, ad totius ciuitatis administrationẽ cõferri debet. Hac in re Lacedæmonios cõmendare licet, qui pueris instituendis maximopere studẽt, & quidem publice. Pla-

num

num fecimus igitur de pueritiæ disciplina ferendas esse leges,& erudiendam publicè iuuentutem.

QVAE autẽ,quoq; modo tradenda sit disciplina,ne quis ignoret,explicandũ. Nunc enim de rebus agendis & officiis ambigitur,& nõ omnes eadẽ pueritiæ discenda esse putãt,neq; virtutis neque optimę vitæ comparandæ gratia,neq; perspicuũ est an magis decet ad intelligentiã mẽtis,an ad animi & appetitus mores cõuertere disciplinam. Et ex obuia ac in medio posita instituẽdi ratione confusa est & turbulenta inuestigatio,totaq; res obscura,discẽdáne sint quę sunt vsui vitæ,an quæ tendunt ad virtutẽ, an superuacanea,atq; minime necessaria. Hæc omnia suos inuenerũt æstimatores. Nec de virtutibus omnino cõsentiunt,nec eandem vtiq; virtutẽ colunt omnes. nõ igitur sine ratione de illius exercitatione discrepant. Ex vtilibus sanè discenda necessaria dubiũ non est: nec id quoque,non omnia capessenda: sed quum diuisæ separatæq; sint res ingenuæ,& illiberales,illa capiunda,quæ cum vtilitate coniuncta,neq; sordidum neque vilem reddunt artificẽ. Omnis autẽ res & ars atq; disciplina vilis & sordida putanda,quæ hominũ liberorum aut corpus, aut animũ,aut mẽtem vsibus actionibusq; virtutis inutilẽ reddit. Artes igitur eiusmodi quæ in deterius parant & afficiũt corpus, operas item mercenarias sordidas & illiberales appellamus, quia mentẽ in laborẽ, perturbationẽ,humilitatemq; deiiciunt. Sunt & ingenuæ scientiæ, quas aliqua ex parte discere non est illiberale,sed lõgius persequi quoad perfectè sciãtur,inutile,propterea quòd Cap. 2.

Hæc mutilatis græcis restituimus ex ueteri translatione.

ea quæ diximus incommoda sequuntur. Magníque interest quò referamus aut operam aut disciplinam. Nam si vel ad nos, vel ad amicos, vel ad virtutem, nō est illiberale. Quòd si quis hoc agit aliorum causa, mercenarium & seruile quiddam agere videbitur. Disciplinæ igitur humiles & nunc abiectę (quemadmodum supra demōstrauimus) sunt ancipites, & in vtranque variant partem.

Cap. 3.

SVNT autem quatuor propemodum, quæ discenda pueris tradere consueuerunt, literæ, gymnastica, musica, scientia pingendi. Literarum atq; picturæ scientiam tradunt, quòd his artibus hæc vita multis modis adiuuatur. Gymnasticā vero, quòd ad fortitudinē contēdit. Iam musica venit in dubiū. Nunc enim permulti voluptatis gratia discunt illam. At illi primi statuerunt inter disciplinas propterea, quòd ipsa natura non solum (vti sæpe dictum est) in negocio recte, verumetiā in ocio pulchre agere posse vult. Ocium sane est omniū principiū, vt & rursum de eo loquamur. Nam si necessaria sunt ambo, ocium magis expetendū, non quo ludamus aut iocemur, quia necessario ludus & iocus nobis esset extremū vitæ. quod si fieri non potest, in negociis vtendum potius iocularibus atq; ludicris, quia qui laborat, eget animi remissione & quiete. ludus autem & iocus animi recreandi gratia repertus. Negociū autē comitatur labor & cōtentio. quamobrē ludicra atque iocularia perinde quasi medelā quandam admittere debent ii qui tempus opportunū & vsum rerum seruare possunt. Is enim motus animi, remissio est & iucunda quies.

quies. Ocium vero videtur ipſum voluptatem fœlicitatemq; & vitam beatam continere. Hoc autem nõ eſt iis qui labore deſudant, ſed iis qui ocio fruũtur. Nam qui verſatur in negocio, ad aliquẽ finem refert laborem, nempe ad id conſequendũ, quod nõ habet. Fœlicitas autẽ finis eſt, quã nõ cum ægritudine, ſed cum voluptate eſſe putant omnes. hanc tamẽ voluptatẽ non eandẽ iam ſtatuũt, at ſinguli ſibi ſuæq; affectioni accommodatã, optimus optimã, & ab honeſtiſſimis rebus emanantẽ. Itaq; perſpicuũ eſt quædã eſſe diſcenda, & animũ doctrina excolendũ, quò traducat in ocio vitam, & ea rudimenta diſciplinaſq; ad ſe referri, & ſeipſis eſſe contentas. Quæ vero ad negociũ pertinent, vt neceſſarias haberi, ac propter alia tractari. Propterea muſicã priores illi diſciplinã eſſe voluerunt, non vt artem neceſſariã, quia nihil habet huiuſmodi: non vt quæſtuariam, quẽadmodũ literas, quæ comparantur ad queſtũ pecuniç, ad œconomiã, ad diſciplinã, multaſq; ciuileis actiones. Scientia quoque pingendi videtur vtilis ad certius ferendum de artificum operibus iudicium, nõ vti gymnaſtica ad valetudinem vireſq; comparata. Horum neutrũ ſequi muſicam videmus. Reliquũ eſt igitur vt ad degendam in ocio vitam comparetur. Quò videntur illam referre, qui admittunt, quoniam in eo genere vitæ ſtatuunt, quod ad homines liberos pertinere arbitrantur. quamobrem ſic Homerus cecinit,

Quàm ſuaue eſt epulis dulcem vocitare Thalian?
Et ſic alios affatus, qui
Accerſunt citharœdũ, inqt, Is vt demulceat omnes.

Alibi dicit Vlysses optimum esse viuẽdi institutum, quum hominibus lætitia fruentibus

Conuiuæ in tectis pendent ex ore canentis
Ordine compositi.

Perspicuũ est igitur esse doctrinã quandã, quam tradere filiis parentes, nõ vt aut vtilẽ aut necessariã, sed vt liberalẽ honestamq́;, debent. Vtrum sit vna, an numero plures, & quæ sint, ac quomodo se habeant, postea nobis erit disserendũ. Nunc autẽ tantũ nobis confectũ sit, ad eã quã sumus inituri viam, esse veterũ testimoniũ de rudimentis quæ penè abiecta atq; neglecta iacent. Id enim musica demonstrat. Præterea tradendam esse pueris ex vtilibus scientiis aliquã, vt literarum disciplinã, non solũ quòd vtilis est, sed etiã quòd aliæ multę beneficio literarum comparari possunt. Tradendã quoq; scientiã pingendi, nõ quò vitent errorem quũ quid sibi mercabũtur, atq; in emptione & venditione rerum decipi falliq; nõ possint, sed potius quòd ars illa facultatẽ contemplandi corporum formã pulchritudinemq́; suppeditat. Vbiq; autem quęrere vtile & cõmodũ, minime congruens est viris magnanimis & ingenuis. Quũ planũ factum sit, puerĩne sint instituendi rebus iis quæ pertinent ad morum, an ad rationis & intelligentiæ virtutes, priúsne corporis an mẽtis habẽda cura: ex his aperte colligitur pueros esse tradẽdos gymnasticæ & pędotribicæ, hoc est duabus artibus, quarum priorem docent athletæ, posteriorem magistri campi. harum enim altera præstantem reddit corporis habitum gymnastica, altera vero opera.

QVAE ciuitates nunc curam summam pueris adhibere existimantur, errant. illæ quidem athleticũ informant corporis habitum, & speciem atq; incrementum corporũ lædunt, quod vitium non admiserunt Lacones, sed laborũ tolerãtia suos reddunt feros, duros & agrestes. quasi id maxime ad fortitudinem cõducat. Atuero (vti sæpe dictũ est) nec vnã, nec istam potissimũ curã spectare debet is cui hoc munus incumbit. Quod si qui ad hanc vnã vertũtur, nõ tamen consequũtur quã volũt fortitudinẽ. Nec enim ceteris in animãtibus, nec in nationibus videmus adiũgi fortitudinẽ immanibus & efferatis moribus, sed lenioribus potius, & iis quibus leo preditus est. Multæ sunt gẽtes quæ ad necãdos homines atq; deuorãdos prompte ferũtur, vt Achæi circa Pontũ, & Eniochi. Sũt alii in cõtinente locisq; mediterraneis aut æque feri, aut immaniores, q latrocinãtur nullã partẽ fortitudinis adepti. Adde quòd Lacones ipsi (scimus enim) quo tẽpore laborib⁹ & exercitationibus operã dabãt, soli cæteris erant præstãtiores. Nũc autẽ & ludicris exercitationibus, & bellicis certaminibus ab aliis vincũtur. Nõ enim quòd eo modo iuuẽtutẽ exercebãt, præstãtiores erant, sed hoc solũ, quòd alii non exercerẽtur ĩ exercitatos. Honestas igitur nõ immanitas ĩ certaminibus primas habere debet. Nec enim lupus, nec alia fera subiret honestũ periculũ, sed potius vir bonus & fortis. Qui ad hæc exercẽdi genera plus satis immiserũt cõpulerũtq; pueros, nec iis tradiderũt qui necessaria docerent, sordidos artifices re uera, & ad vnũ modò laborẽ publicũ, & eum ceteris Cap. 4.

(vti ratio confirmat) deteriorem vtiles reddiderunt. Operę preciũ eſt autẽ non ex ſuperioribus factis iudicare, ſed ex iis quæ modò fieri videmus. Nunc habent qui ex aduerſo diſciplina ac exercitatione contendunt, antea non habebãt. Certũ eſt igitur & confeſſum gymnaſtica vtendum eſſe, nec dubium quomodo ſit vtendũ. Ad tempora pubertatis leuiores adhibendæ ſunt exercitationes: nimiũ tenues victus, violentaq; ieiunia, atq; vrgẽtiores labores prohibẽdi, ne corporibus ſint impedimẽto quo minus creſcant. Nec argumentum leue eſt, nec infirmũ ſignũ, debilitatem corporis hoc modo cõtrahi poſſe, quòd inter victores Olympiorũ vix duos aut tres inuenias qui iidem vicerint viri & adoleſcentuli, propterea quòd ii qui iuuentutẽ exercent, laboribus violẽtis auferũt vires. A pubertate vero quũ tres anni diſcendis aliis artibus exacti fuerint, tũ licet & laboribus & alimẽti dura parſimonia proximã occupare ætatẽ. Nõ enim mente ſimul & corpore laborare bonum, propterea quòd vterq; labor alteri contrarius eſt effectu. Labor enim corporis mentem, mẽtis autẽ corpus impedit.

Cap. 5. QVVM DE MVSICA ſuprà diſputaremus, nonnulla in dubium vocauimus, quæ nunc repetita præire commodum eſt, vt ſit quædam proluſio diſputationi qua quis vti dicendo poſſet, cui hæc explicanda res eſſet. Nec enim quas habeat vires, explicare facile eſt, nec cuius rei cauſa ſit interponenda, ludíne & remiſſionis animi gratia, vt ſomnus, & liberalior potus. Hæc enim ſuapte natura non ſunt honeſta, ſed ſuauia atque iucunda, ac ſimul perturbationem

perturbationem curarum grauium ſedant,vt inquit Euripides. Quapropter adhiberi iubent illam, & omnibus his vtuntur eodẽ modo,vino,crapula,muſica,quibus addunt & ſaltationem. An potius exiſtimandum muſicam ad virtutem contendere, vt quæ (non aliter atq; gymnaſtica reddit præſtantem corporis habitum) inducere poſſit morum ſuauitatem, & honeſto lætitiæ generi aſſuefacere? An rationem vitæ prudentiámque iuuat? Etenim ſtatuendum eſt hoc tertium ex iis quæ de arte canendi pronunciata ſunt. Muſicam ludi gratia pueris non eſſe tradendam,cognoſcere facile eſt.Non enim quum diſcunt, ludunt, quia ſtudium ſcientiarum triſtis comitatur ſeueritas.Neque vero par eſt eam tradi pueris & imperfectis ætatibus ad delectationẽ honeſtamq; lætitiam,quia nulli imperfecto finis conuenit atq; perfectio.Sed exiſtimabit aliquis fortaſſe puerorũ ſtudiũ ad exercitationẽ ludicram referri,qua viri facti delectabuntur ætate perfecta.Hoc ſi verũ eſt,quid opus eſt eos diſcere,nõ autem (vt Perſarum Medorumq; reges)aliis modulãtibus capere voluptatẽ fructumq; diſciplinæ? Etenim neceſſe eſt eos id melius promptiusq; facere,qui data opera hãc exercuerũt artẽ, q̃ qui tantũ illi temporis operã dederunt,quantum ad diſcendũ ſatis erat.Si pueris ad eũ finem ſuſcipiẽdus eſt hic labor,erunt etiã rei culinarię parãdi:quod eſt abſurdũ.Eadẽ quoq; dubitatio eſt,moréſne poſſit facere meliores.Nã quid opus iſta diſcere,nõ alios audire potius,atq; recte lætari,ac iudicare poſſe, vt Lacones ſolent?Illi quidẽ tametſi non diſcunt,tamẽ(vt

aiunt) recte iudicare possunt quæ modulandi genera bona sint & vtilia, quæq; mala atque incommoda. Eadem ratio valebit, si quò iucunde viuatur & liberaliter, musica sit vtendum, quid est eos ipsos discere necesse, non aliis vtentibus oblectari? Intueri licet cõceptã nobis de diis opinionẽ. Non enim poetæ Iouẽ aut voce aut fidibus canentem faciũt. Atq; etiã sordidos artifices appellamus huiusmodi musicos. Idq; factitare dicimus esse hominis haud sobrii, aut certe ludentis. Hisce de rebus postea, si ita res tulerit, agemus. Prima vero quæstio, an inter disciplinas statuẽda sit musica, an nõ: & quod horũ triũ quæ in dubitationem vocauimus, efficere possit, an disciplinã, an ludũ leuiorẽ, an oblectamentũ solatiũq; vitæ. Vt horũ cõmunis videatur omniũ, ratio persuadet. Ludus enim remissionis animi gratia interponitur, quã esse iucundã necesse est, propterea quòd vti medela quædam leuat ægritudinẽ quã pariunt labores. Et ingenuo liberaliq; vitę instituto sine controuersia nõ honestas modò, verumetiam voluptas esse debet, quoniam duabus his rebus cõstat fœlicitas. Omnes autẽ dicimus in rebus suauissimis habendã esse musicã & eam quę nuda ac simplici modulatione, & eã quę varia & canora vocũ suauitate cõstat. Hæc igitur Musæus, Est homini cantare suaue.

Itaque iure in hominũ conuentus, & in solatia agendæ vitæ, musicam, vtpote quæ animum lætitia mulcere potest, admittunt. Hinc igitur existimare licet hanc à pueris esse discendam. Nam quæ sine vllo incommodo iucũda sunt, non ad finẽ modò, sed etiam

ad

ad quietem & tempus remiſſionis apta ſunt. Quum autem raro homines finem conſequãtur, ſæpe intermiſſo labore conquieſcant, atque ludicris rebus vtãtur: proderit, non vltra modum quidem, ſed oblectãdi gratia, voluptatibus eius recreari & conquieſcere. Accidit autem vt homines finem ſtatuerent res ludicras, propterea quòd nonnullam fortaſſe voluptatem, non quamlibet tamen, finis habet, quam quum expetunt ac perſequuntur, illam deteriorem, quaſi cum fœlicitate coniunctam, quia videtur idem poſſe quod finis, accipiunt. Nam vt illud extremum nullius boni futuri gratia petendum, ſic iſtæ voluptates non ad futura ſed ad præterita vt labores ægritudinéſque referuntur. Cur igitur velint his voluptatibus eſſe fœlices, hæc non temere cauſa putanda eſt. Non autẽ exiſtimandũ hanc ſolam eſſe cauſam cur nobis impartiri muſicã velimus, nec illam etiam quã cenſent, remittendis laboribus hanc prodeſſe. At vero quærendum num & hoc acceſſerit. Præſtantior eſt vis eius atque natura, quàm quæ rebus his tantum ſit vſui, nec ab ea ſolùm percipienda communis voluptas quam ſenſu capiunt omnes. Habet enim muſica naturalem voluptatem, vnde fit vt ſit omnibus ætatibus omnibúſque moribus vſus eius ſuauis, dulcis atque iucundus. Videndum igitur an ad mores & animum pertineat. Id autem planũ fiet, ſi nos afficiat & immutet quodammodo. Atqui nos affici demonſtrant Olympi cantus, qui ſine controuerſia furore diuino concitant animos. Hic autem furor eſt ſtatus animi perturbatio. Omnes etiam qui cantus

imitationes audiunt citra numeros atque modulationes, pro ſonorum modo afficiuntur. Quumque muſica ſit iucunda, ac virtus in gaudio recto, in amore odióque verſetur, nihil certe ſic diſcere & in conſuetudinẽ vocare debemus, vt iudicare recte, & moribus æquis manſuetiſq; & honeſtis actionibus oblectari. In numeris autem & cantibus nonnullæ ſunt quæ ad veras naturas maxime accedunt, ſimilitudines iræ, clemẽtiæ, fortitudinis, temperãtiæ, & omniũ quæ contraria ſunt his, aliorúmque moralium. Id demonſtrat effectus. Animus enim immutatur nobis hæc audientibus. qui ſi ex rerum ſimulachris & imaginibus aut ægritudinem aut lætitiam concipere ſolet, parum aut nihil abeſt quin eodẽ modo rebus veris aut doleat aut oblectetur: vt ſi quis alterius imaginem videns, non alia q̃ formæ cauſa gaudeat, illi neceſſe eſt & eius aſpectũ, cuius imaginẽ cõtemplatur, eſſe iucũdum. In aliis autem quæ cadunt in ſenſum, nulla eſt imago & ſimilitudo morũ, vt in iis quæ tactu ſentiũtur & guſtu. In iis quæ viſu percipiuntur, non multum mouet imago. Eò cadunt figuræ quæ parum mouẽt: & hic ſenſus omnium communis eſt. Adde quòd non ſunt hæ morum ſimilitudines, at ſigna potius, quæ morum figuræ coloréſque fiunt. & hæc ſunt in corpore in perturbationibus. Atuero magni refert quæ ſimulachra contẽplere. Pueri non Paſonis, ſed Polygnoti, & ſi quis alius pictor aut ſtatuarius depingit mores, imagines & ſigna debent intueri. At in ipſis modulationibus imitationes morum inuenias. Nec id dubium eſt. Nam cõcentuum

vis

vis atque natura quamprimum distinguitur, & eius varietas apparet. Itaque qui audiunt, aliter afficiuntur atque aliter, nec vno & eodem modo quauis immutantur harmonia, sed quibusdam luctuosius contractiusq́;, vt ea quæ mixolydia vocatur: aliis mollius, vt remissis: nõnulla mediocriter ac composite, quod ex concẽtibus Dorius vnus efficere videtur. Mẽtem Phrygius agit in furorẽ. Hęc probè dicũt, qui via sapientiæ rationes huius disciplinæ inquisierũt. Nam ex rebus ipsis orationũ testimonia assumunt. In numeris est eadẽ ratio. aliis est modus statarius, aliis motorius: & horũ motus aliis violẽtiores, aliis compositi magis ac liberales. Ex his igitur planum fit affectus animi multis modis à musica parari. Quod si est, haud dubiũ quin adhibẽdi sint ei pueri, & canẽdi rationibus informãdi. Musicæ doctrina tãtulæ ætatis naturæ congruens est. Nam propter ætatem pueri nihil vltro graue & iniucundum ferũt: musica verò suapte natura delectat, & animis nostris quædã videtur esse cognatio cũ harmoniæ concẽtu, & numerorum concordia. Quamobrẽ multi sapiẽtes cõfirmant, aut harmoniã esse animã, aut in anima esse harmoniam.

NVNC explicandũ nobis est, quod prius in cõtrouersiam adduximus, debeãt nécne pueri vocis & instrumentorũ scientia formari. Perspicuum autem magni interesse, siquis excellere velit, non audire aut videre modò, sed etiam res ipsum tractare posse. Nec enim fieri potest, aut ægrè potest, vti rectè iudicẽt ii qui artẽ efficiendæ rei non sunt assecuti. Adde quòd pueris op⁹ est aliqua exercitatione: quo fit vt Archi- Cap. 6.

tæ πλαταγὴν, id eſt inſtrumẽtum quoddã ſtridore & crepitu ſonorũ, bene inuentã eſſe credamus. Datur enim puerulis, vt illius vſu occupati familiarẽ ſupellectilem ne frangãt. Pueritia quieſcere nequit, quamobrẽ paruulis hic congruẽs eſt ludus. Grandiuſculis autẽ crepãtis inſtrumẽti loco tradẽda diſciplina. Ex his apertè colligitur ſic pueros muſicã docẽdos eſſe, vt nõ audire modò, verũetiam quod eſt artis huius agere poſſint. Quid autẽ deceat aut nõ deceat ętates, haud difficile eſt explicare, & iſtorũ infringere ſententiã, qui ſtudiũ muſicũ ſordidũ & illiberale eſſe dicunt. Nã quòd iudicãdi cauſa, non ſolùm contẽplari, ſed etiã agere neceſſe eſt, iccirco primũ actione pueris vtendũ, ſenioribus factis non vtendũ. Tum ſatis erit ex puerili diſciplina quæ ſint honeſta iudicare poſſe, & honeſto genere voluptatis vti. Nec arduum eſt reprehenſionẽ illã refutare, qua nõnulli ſtudium muſicæ culpãt, perinde quaſi ſordidos artifices reddat, ſi viderimus quatenus agendo progrediendũ ſit iis qui doctrinã ciuili virtuti accõmodatã capeſſunt, quos ſcire cãtus, quóſq; numeros, & quibus inſtrumentis artẽ exercere debeant. Etenim hoc eſſe variũ ratio oſtẽdit, & in his varietatibus eſt obiectionis refutatio. Nihil enim prohibet hac in arte modos eſſe, qui quod iſti vitio dãt, ſordidos artifices reddãt. Perſpicuum eſt igitur hanc doctrinam nec impedimẽto eſſe rebus quæ poſtea ſunt agẽdæ, nec corpus ſordidũ, & laboribus tũ bellicis tũ ciuilibus inutile facere debere. Iam quũ pueri diſcũt, ſubſeruiat vſui & exercitationi, poſtea diſciplinis. Id vſuuenit in hac di-

ſciplina

ſciplina, ſi neque in iis quæ ad certamina artificioſa pertinẽt,neq; in illis quæ admirationẽ efficiunt,& curioſius exquiruntur,elaborẽt,quę nũc in certamina, è certaminibus in puerilẽ diſciplinam venerunt. Sed his dent operam, quoad poſſint,cãtibus & numeris, & non ſolùm cõmuni ſenſu muſicæ,vt alia quædam animãtia, atq; etiã ſeruitiorũ puerulorumq; vulgus, oblectari. Hinc planũ fit quibus inſtrumẽtis ſit vtẽdum. Nec enim tibiæ diſcẽtibus adhibẽdæ, nec aliud inſtrumentũ laborioſum,& artificibus accõmodatũ, vt cithara,& ſiquid eſt generis huius,ſed quæcũq; homines reddunt aptiores ad audiẽdam vel muſicã,vel aliam diſciplinã. Præterea tibia nõ fouet bonos mores,ſed irã potius & animũ concitat.hac igitur vtẽdũ tẽporibus iis quibus ſpectaculum κάθαρσιν,id eſt curationẽ affectuum,potius q̃ diſciplinã inducere poteſt. Adde quòd nõ ſolùm animi cultũ nõ iuuat, ſed etiã cõtrà potius impedit,vtpote quę ſit impedimẽto quo minus ratione mẽtis vtatur. Iure igitur improbarũt illius vſum priores, & exturbarunt è cõmercio puerorum atq; liberorũ,tametſi primùm fuerãt vſi. Plus ocii nacti, & diſcendi auidiores facti,propterea quòd diuitiis abũdarẽt,atq; aucta animi magnitudine erectiores ad virtutem,iam ante res geſtas in Medos,& poſtea,quum magnificè de ſe ſenſiſſent,elati rerũ geſtarum gloria, omnẽ tractabãt diſciplinam,nec perficiebant aliquid,ſed inquirebãt. Induxerunt igitur & artem tibiarũ,puerisq; diſcendã tradiderunt. Etenim quidã Lacedæmone q̃ choris præerat,ipſe tibiis modos fecit. Et Athenis adeò frequens & vſitata fuit,vt

ingenui penè omnes illã discerent. Ostendit ea tabula quã Thrasippus, qui choros exhibuit Ecphãtidæ proposuit. Postea damnata est atque repudiata, propterea quòd experiẽtia ipsa melius poterãt quid ad virtutẽ pertineret, & quid nõ, iudicare. Et item reiecta sunt ab ingenuis instrumentorũ veterum multa, vt Pyctides, & Barbiti, & quæ voluptate afficere cõtendunt eos qui vtentibus patefaciunt aures, vt Heptagona, Trigona, Sambucæ, atq; omnia quæ tã curiosa manuũ egẽt actione. Nec ratione caret id quod de tibiis veteres fabulę ferunt. Aiunt enim Mineruã quas inuenisset tibias abiecisse. Nec improbè dicas id deam fecisse, quòd molestè ferret oris illam quam faciunt tibiæ deformitatẽ. A tuero credibilius est id ab ea factũ, quòd scientia tibiarũ nihil adiuuat mẽtem. Nam Mineruę scientiam attribuimus & artẽ. Artificiosam sanè instrumentorũ & actionis huius improbamus disciplinã: artificiosamq; statuimus eam quæ certaminibus est cõparata: quod qui agit, non illam suæ virtutis, sed audiẽtium ridiculæ molestæq; voluptatis gratia tractat. Hanc igitur actionem ad ingenuos viros pertinere non putamus, quòd qui id faciũt, mercenarii viles & sordidi fiũt. Improbus enim scopus quem petunt, & finis quò tendũt. Nam spectator molestus atque ridiculus musicam immutare consueuit. Itaq; artifices qui auditori placere studẽt, aptos suis auribus reddit, & eorum corpora turpi gestu motúque distorquet.

Cap. 7. IAM videndum quę harmonię, quiq; rythmi sint discendi, omnibúsne sit vtendũ, an distributis generibus

ribus aliud capeſſendũ, aliud relinquẽdum. Deinde iisne qui diſciplinę dant operam, ſtatuere debeamus eandem partitionem ſiue diuiſionẽ quam muſici, an aliam quandã tertiã. Quum muſicã videamus melopœia, id eſt habitu modulationis effectæ, & rythmo, id eſt numero conſtare, quæ ſit vtriq; vis ad diſciplinam, tenendũ eſt, eligendáne potius ea pars quæ apta modulatione cantuq; decenti conſtat, an quæ in numeris aptè cõpoſitis conſiſtit. De rebus muſicis multa præclarè dicere & aliquot ætatis huius muſicos, & qui muſicæ diſciplinæ periti ſunt philoſophos arbitrati, exquiſitã ſingularũ partium indagationẽ tribuamus iis qui inquirere volunt. Nũc autẽ, ne recedamus à iure noſtro, diuidamus tãtùm formas craſſius, ac de illis pauca dicamus. Nam probamus modulationũ diuiſionẽ quam philoſophi nonnulli diſtribuunt, qui ſtatuunt alias eſſe morales, alias agentes, alias concitãtes: & harũ ſingulis propriã diuerſamq; harmoniarũ naturam attribuunt. Vtendúmq; muſica dicimus non vtilitatis vnius, at pluriũ cauſa, vt diſciplinæ, & curationis atq; medicinæ cuiuſdã. Quid autem vocemus curationẽ, nũc quidẽ ſimpliciter & ſummatim, rurſus autem manifeſtius in libro de arte poëtica dicemus. Vtendũ quoq; ad oblectamẽtum vitæ, ad animi remiſſionẽ, contentioniſq; ſedationẽ. Omnibus harmoniis quidẽ, ſed non eodem vtẽdum modo, verùm diſciplinæ cauſa, quæ ad mores maximè pertinent, vſurpandæ. In audiendis aliis qui hãc artem manibus exercent, & agentibus & concitantibus eſt fruendũ. Nam quæ perturbatio vehementer

animos quorũdam mouet, in animis omnium reperitur, & quãtitate differt minore atq; maiore, vt misericordia, & metus, atq; etiam furor animi. Sũt enim qui capiũtur & afficiuntur hoc motu. Videmus eos quum animũ ad sacrorum cultũ expiant, idoneúmq; reddũt, sacris modulationibus carminibusq; ita constitui, vt si medicinã curationémq; reperissent. Quod idem pati necesse est eos & qui commiseratione, & qui metu, & generatim q aliqua perturbatione sunt affecti, atq; alios, quatenus aliquid huiusmodi singulis iniiciũt, omnésq; aliqua ex parte curari & alleuari cũ voluptate. Non aliter & cantus ad animos subleuandos apti, innoxiã hominibus afferunt lætitiam. In hoc igitur harmoniæ modulationísq; genere spectandi sunt ii qui in theatro musicam manibus exercent, atq; decertant. Quòd autẽ spectator est duplex, alius ingenuus & exultus, alius rudis, grauis & molestus, ex artificum, cerdonum, mercenariorúmq; plebecula, huic quoq; ad ocium & animi remissionẽ certamina spectaculáque tribuenda. Vt sunt ordinis huius animi inculti, deprauati, & à naturali habitu í errorem depulsi, sic & à vero nonnullæ deflectũt harmoniæ, ac soni vehemẽter intenti, & quasi fœdo colore inquinati. Id autem cuiq; iucundũ, quod eius naturæ proprium & accommodatũ. Largienda est igitur certantibus hæc licentia, vt ad eiusmodi spectatorem hoc musicæ genere abutantur. Ad erudiendum animum (vt antè dictum est) iis vtẽdum vocum cantibus & harmoniis, quę mores animúmq; componunt. Generis huius est concentus Dorius, vt suprà demõstra-

demonſtrauimus. Admittendi quoq; ſunt alii modi, quos nobis probant ii qui in ſtudio philoſophiæ ac muſicæ verſantur. Socrates autem in republica ſua non probè cum Doria harmonia ſolam Phrygiã relinquit, vtpote qui in inſtrumentorũ genere tibiam damnauit. Eſt enim vis eadẽ Phrygiæ inter concentus, quæ tibiæ inter inſtrumẽta, propterea quòd ambæ concitant animos atq; perturbant. Id oſtẽdit poëſis. Omnis enim bacchatio, & omnis concitatior motus, tibiis magis quàm cæteris inſtrumentis furit, & aptius Phrygiis modis quàm reliquis ardet, vt dithyrambus ſine controuerſia Phrygius eſſe cẽſetur: cuius & alia exempla multa referunt qui iſtã vim concitandi prudenter & acutè perſpiciunt: & hoc, Philoxenum conatũ eſſe in harmonia Dorica facere dithyrambum carmen, nec potuiſſe, ſed ex illius natura delapſum, ad Phrygiam dithyrambo congruẽtem recidiſſe. Omnes autẽ Doriã valde firmã ſtabilémq; eſſe, & hanc vnam præcipuè mores compoſitos, viriles, forteſq; inducere conſentiunt. Præterea quũ medium inter extrema laudemus, & illud perſequendũ eſſe dicamus, atq; inter harmonias mediã habeat Doria naturam: perſpicuum eſt Dorios cantus maximè iunioribus eſſe diſcendos. Sunt autem duo conſideranda, quid fieri poſſit, & quid deceat. Nam quiſque potius quod poteſt, ac decet, moliri debet. Hæc ſunt ætatibus definita, vt iis qui diuturnitate vitæ penè exanimati langueſcũt, haud facile eſt contentas harmonias cantare, ſed huic ætati natura modos remiſſiores ſubiicit. In hoc igitur non immerito Socratem

arguunt quidam musici, quòd harmonias remissas improbarit, nec discendas esse iudicarit, vt qui putaret esse quasi vinolentas, non ex temulentiæ facultate, quoniam furorem bacchantem magis inducit ebrietas, sed qui languidas & penè mortuas existimaret. Tales igitur concentus atque modulationes aliqua ex parte ad futuram senectutis ætatem comparādæ. Et siqua est harmonia, quæ propterea quòd morum concinnitatem & animi cultum iuuare potest, ætati puerorum congruens est, ea quoq; discenda. Lydius inter omneis concentus præditus hac natura videtur. Hi tres scilicet animo excolendo statuendi fines, quorum vnum mediocritate, alterum potestate, tertium decoro metimur.

FINIS.

